

FONTES HISTORIAE MARIANORUM

8

SCRIPTA HISTORICA

P. STANISLAI A J. M. PAPCZYŃSKI

INSTITUTUM HISTORICUM MARIANORUM

FONTES HISTORIAE MARIANORUM

8

1. *Odrodzenie Zgromadzenia Księży Marianów*, Warszawa 1995
2. *Stolica Apostolska a biskup Jerzy Matulewicz*, Warszawa 1996
3. *Wspomnienia o błogosł. Jerzym Matulewiczu*, Warszawa 1996
4. *Užrašai*, Aidai 1998
5. *Templum Dei Mysticum*, Varsaviæ 1998
6. *Orator Crucifixus sive Ultima Septem Verba Domini Nostri Iesu Christi*, Varsaviæ 1998
7. *Christus Patiens*, Varsaviæ 1998
8. *Scripta Historica P. Stanislai Papczyński*, Varsaviæ 1999

SCRIPTA HISTORICA

P. STANISLAI A J. M. PAPCZYŃSKI

Edidit

Casimirus Krzyzanowski MIC

Varsaviae 1999

© by Institutum Historicum Marianorum, Warszawa 1999

Compositio et graphica expressio

Casimirus Krzyzanowski MIC

Consultatio et correctio

Jan Bukowicz MIC

Mariański Instytut Historyczny
ul. H. Dembińskiego 2, 01-644 Warszawa

PROOEMIUM

a. Ratio scriptorum in hoc volumine contentorum

In hoc volumine praesentamus in editione critica 16 scripta P. Stanislai Papczyński - in lingua latina exarata - quae habent notam distinctivam “historicitatis” in relatione ad vitam propriam auctoris. In uno scripto is refert aliquid de sua vita in saeculo, dum in 15 scriptis - de sua vita et activitate in communitate religiosa. Non sunt ergo scripta tractantia aliquod argumentum de vita ascetica sicut eius scripta passionem Iesu Christi spectantia (*OC, CP*), sive scriptum tractans studium Christianae perfectionis (*TDM*)¹.

Huiusmodi scripta “historica” habent relationem ad duo Instituta religiosa quorum P. Papczyński successive membrum erat, nempe ad Institutum Scholarum Piarum (1654-1670) et ad Institutum CC. Marianorum ab eo fundatum (1673-1701). Est tamen unum scriptum “historicum” quod de eius vita in hoc vel illo Instituto religioso non tractat, nempe *Secreta Conscientiae* (*infra, 1*) quod est scriptum solummodo causaliter connexum cum Instituto Scholarum Piarum, quia est quasi confessio peccatorum e vita praeterita a novitio huius Instituti ante vota prima facta, sed contenta (in duobus fragmentis nobis notis) respiciunt eius vitam in saeculo.

Haec scripta “historica” praesentantur hic in ordine chronologico. Notandum est quod in tali ordine non separantur scripta unumquodque Institutum religiosum respicientia, quia *Oblatio* (*infra, 5*) die 11 Decembris 1670 datata et clare cum proposito fundandi “Societatem Clericorum Marianorum” connexa, praecedat chronologice *Apologiam pro egressu e Scholis Piis* (*infra, 6*) ex anno 1671, in qua adhuc de sua vita

¹ Utique, in eius scriptis asceticis inveniri potest etiam aliquod breve elementum ex experientia personali auctoris, sed solummodo per modum exempli. E.g. *TDM*, c. VIII (p. 38); *OC*, Verb. VI (p. 64).

- iam praeterita - in Scholis Piis agitur, et nihil legitur de futuro Instituto Marianorum. Ex alia parte in tribus scriptis *ex professo* Marianis inveniamus aliqua elementa e vita auctoris in Scholis Piis (cf. *infra*, 8, 13 et 14).

b. **Authenticitas textus**

In paucis casibus potuimus desumere textum pro nostra editione critica ex autographo. In absentia autographi, debuimus adhibere exemplaria, et si adsunt duo vel tria exemplaria a se independentia pro aliquo scripto, conati sumus praesentare textum exemplaris magis completi et praesumibiliter magis fidelis cum originali, sed diversae lectiones ex aliis exemplaribus adducuntur in annotationibus textualibus. Notandum est quod aliquando in his annotationibus invenitur lectio ex exemplari a nobis edito utpote a nobis uti erronea agnita, si lectio ex alio exemplari est indubitanter praeferranda ob rationes in unoquoque casu explanatas.

c. **Scopus huius editionis**

Scopus principalis huius editionis criticae est praesentare textum authenticum scriptorum P. Stanislai Papczyński pro proposita editione “opera omnia” huius auctoris², praesertim uti translata in linguas modernas.

Prae oculis hic habemus principaliter lectores qui ex scriptis P. Stanislai Papczyński velint noscere aliquid e historia Instituti Marianorum, sed praesertim eos qui in omni tali scripto “historico” invenire volunt aliquid e spiritualitate P. Stanislai et Congregationis ab eo fundatae (quamquam pro hac spiritualitate *Norma Vitae* est fons principalis).

Casimirus Krzyzanowski, MIC

² Iam est initiata huiusmodi editio (“Dzieła wszystkie”) in lingua polona.

Tabula abbreviationum et siglorum

- AAP - Archivum Archidioecesan. Posnaniense (Polonia): Collectio *APS* (Acta Processuum Sacrorum)
- AFP - *Posnaniens. Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Stanislai a I. M. Papczyński [...], Animadversiones R.P. D. Fidei Promotoris Super Dubio An sit signanda Commissio Introductionis Causae [...], Ms., - AAP: APS 9, pp. [1-74]. NB: Summ. Obj. - Summarium Objectionale, - ibid.*
- AGM - Archivum Generale CC. Marianorum (Romae).
- AGSP - Archivum Generale Scholarum Piarum (Romae).
- Apologia - Stanislaus a I.M. Papczyński, *Apologia pro egressu e Scholis Piis* (ca 1671), - SH, 6.
- APost.MIC- Archivum Postulationis Generalis CC. Marianorum, Romae (Via Corsica 1)
- APS - vide: AAP
- BullRom - *Bullarium Romanum*
- Const.S.P. - *Constitutiones Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum*, in: *Clericorum Regularium Scholarum Piarum I. Constitutiones cum Notis. II. Regulae et Ritus Communes. [...], s. l. 1768.*
- CP - Stanislaus a I.M. Papczyński, *Christus Patiens...*, Varsaviae 1690.
- ECat - *Enciclopedia Cattolica* I-XII, Città del Vaticano, 1948-1954.
- Eph. Cal. - *Ephemerides Calasanctianae*, comment. bimestre Edit. Calas., Roma 1931ss.
- FLL - Forcellini et al., *Lexicon Totius Latinitatis*, Patavii 1864.
- FDR - Stanislaus a I.M. Papczyński, *Fundatio Domus Recollectionis* (ca 1675), - SH, 7.
- HierCat - *Hierarchia catholica medii aevi sive summorum pontificum [...]*; ab A.D. 1923: *Hierarchia catholica medii et recentioris aevi* I-VII, ed. C. Eubel et al., Monasterii, Patavii 1898-1979.

- Informatio - *Posnanien. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Stanislai a J.M. Papczyński [...]. INFORMATIO super dubio An sit signanda Commissio Introductionis Causae [...], [Romae 1772]*
- Kr. - [Michael Kraus a Visitatione BVM, S.P.], *Provincia Poloniae Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum*, Ms. (1692-1701 “), - ACSP Hung., For. 0-6. Nr. 70.
- Krzyz. - Casimirus J. Krzyzanowski, MIC, *Stanislaus a Iesu Maria Papczyński, O. Imm. Conc. (1631-1701) : Magister Studii Perfectionis*, Dissert. ad Lauream in S. Theol., Romae 1963.
- LAA - Stanislaus a I.M. Papczyński, *Litterae ad P. Alexium Armini, S.P.* (1688), - SH, 8.
- LCC - Stanislaus a I.M. Papczyński, *Litterae ad P. Cosmum Chiara, S.P.* (1670), - SH, 4.
- LThK - *Lexikon für Theologie und Kirche* I-X, ed. J. Hofer, K. Rahner, Freiburg im Br. 1957-65.
- Nav. - Georgio A. Navikevičius, MIC, *Stanislao di Gesù Maria Papczyński (1631-1701) Scolopio e Fondatore della Congregazione dei Padri Mariani*, Dissertatio ad Lauream in Fac. Hist. Eccl., Roma 1960.
- NV - [Stanislaus a I.M. Papczyński], *Norma Vitae Religiosae Congregationi B.V.Mariae Sine labe Conceptae Eremitarum Marianorum [...] Proposita et ab Em.mo et Rev.mo Domino D. L. Cardinali Colloredo [...] Correcta Romae A.D. 1694-to*, Ms. orig. (1694-98): *Positio*, pp. 450-483.
- OC - Ioannes Papczyński, *Orator Crucifixus...*, Cracoviae 1670.
- PEK - *Podręczna Encyklopedia Kościelna* I-XLIV, ed. Z. Chełmicki et al., Warszawa 1904-1916.
- Positio - *Posnanien. Beatificationis et Canonizationis S.D. Stanislai a I.M. Papczyński...*, *Positio super Introductione Causae et super Virtutibus*, Romae 1977.
- P.P. - *Copia Publica Transumpti Processus Ordinaria auctoritate in Curia Posnanien. constructi super fama sanctitatis vitae*,

virtutum et miraculorum Servi Dei Stanislai Papczyński Clericorum Marianorum Institutoris, - APost. MIC.

- PRAb - Stanislaus a I.M. Papczyński, *Protestatio Romam abeuntis* (1667), - SH, 3.
- PRAr - St. a I.M. Papczyński, *Prodromus Reginae Artium, Varsaviae-Cracoviae* 1663, 1664, 1665, 1669/1670.
- Prot. - *Protocollum Ordinis Beatae Mariae Virginis Immaculatae Conceptionis Congregationis Polonae, Defunctorum et Parochorum Suffragatricis sub Regula Imitationis Decem Virtutum seu Decem Beneplacitorum B.Mariae V. [...] Connotantur cum consensu et supplicatione totius Congregationis per Adm Reverendum Patrem Ioachimum a Sancta Anna [...] Anno Virginei partus 1705 In Colle Mariano Eremi Corabieviensis die 13 Maij*, Exemplar Ms. (ca 1744), - Arch. priv. Muniak (Cracoviae).
- PVSim - Stanislaus a I.M. Papczyński, *Professio votorum simplicium* (1656), - SH, 2.
- Resp. ad AFP - *Posnanien. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Stanislai a I.M. Papczyński [...]. Responsio Ad Animadversiones R.P.D. Fidei Promotoris, Super Dubio An sit signanda Commissio Introductionis Causae [...]*, ed. Alegiani, ca 1775, - AAP: APS 9.
- SC - [Stanislaus a I. M. Papczyński], *Secreta Conscientiae ad Reverendum Patrem N.N. Poloniae V[icarium] meum in Spiritualibus Magistrum* (1656), - SH, 1.
- SH - *Scripta Historica P. Stanislai a I. M. Papczyński*, ed. C. Krzyzanowski, Varsaviae 1999.
- Statuta - *Statuta Patrum Marianorum Ordinis B.M.V. sub tit. Immaculatae Conceptionis, Defunctis et Parochis in Cura Animarum suffragantium Congregationis Polonae*, Romae 1723.
- Syd. - Stefan M. Sydry, MIC, *Czcigodny Sluga Boży O. Stanisław od Jezusa Maryi Papczyński i jego dzieło w świetle dokumentów*, Warszawa 1937.

- TDM - Stanislaus a I.M. Papczyński, *Templum Dei Mysticum...*, Cracoviae 1675.
- Teix. - João Teixeira Coelo de S. Paio, *Vida do Ven. Servo de Deos, o Padre Estanislao de Jesus Maria, Fundador da Congregaçam e Ordem dos Religiósoos...*, Lisboa 1757.
- TII - Stanislaus a I.M. Papczyński, *Testamentum Alterum* (1699/1701), - SH, 14.
- VF - [Mansuetus Leporini, OFM Ref.], *Vita Fundatoris Congregationis Polonae Ordinis Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis*, in: *Prot.*, pp. 3-16.
- VW - *VITA Venerabilis Servi Dei Patris Stanislai a Iesu Maria Qui Congregationem Religiosorum Marianorum Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae, [...], in Suffragium Animarum Purgatorii instituit, Composita per Patrem Casimirum WYSZYŃSKI eiusdem Congregationis Marianae ExPraepositum Generalem* (1754) - exem. Ms. 1772 - APost. MIC.

1.

Secreta Conscientiae

(2 fragmenta)

s.l. (Varsaviae ?), ca VI 1656

a. **Auctor, origo et tempus compositionis.** - Stanislaus a I.M. Papczyński novitiatum in Instituto Scholarum Piarum die 2 Iulii 1654 incepit³. Illo tempore novitii in hoc Instituto biennio probabantur et ante biennium ad vota emittenda non admittebantur⁴.

Secundum Constitutiones Instituti Scholarum Piarum, “qui emissurus est vota, totius vitae anteactae Confessionem generalem habeat, vel saltem a biennio probationis prout illi placuerit”⁵. In quantum itaque novitius Papczyński sperabat vota die 2 Iulii 1656 emittere, talem confessionem generalem probabiliter circiter mensem Iunii eiusdem anni fecit. Videtur quod eam suo confessorio (“in Spiritualibus Magistro”) etiam in scriptis presentavit in libello denotato uti: “Secreta Conscientiae ad Reverendum Patrem N.N. Poloniae V[icarium] meum in Spiritualibus Magistrum”⁶ (SC), nam postea hic libellus descriptus est uti “liber Confessionum suarum, defectuum et peccatorum, quae in iuventute, antequam Religionem [Scholarum Piarum] ingrederetur, patraverat”⁷.

³ Cf. Ms. “Admissio ad habitum”, in: *Positio*, p. 34-35 (Doc. II, 1).

⁴ Cf. *Const.S.P.*, P. I, c. II, nn. VI. XII.

⁵ Cf. *Ibid.*, c. III, n. I.

⁶ Cf. *Positio*, pp. 32-33 (Doc. II, *intr.* D, c), no. 59. Hoc modo indicatur hic P. Alexander Novari, S.P., sub cuius directione evidenter novitius Papczyński se ad professionem votorum praeparabat.

⁷ Cf. *Ibid.*, no. 58.

b. **Textus et eius authenticitas.** - Hoc scriptum (*SC*) non est amplius extans, sed probari potest quod ex eo proveniunt duo brevvia extracta prout allegata a P. Casimiro Wyszyński in “Vita Venerabilis Servi Dei Patris Stanislai a Iesu Maria” (1754)⁸. Utique, non invenimus in eis ullam narrationem peccatorum, sed scimus quod novitius Papczyński in *SC* non se limitavit ad talem narrationem et in hoc scripto etiam alia facta suae vitae in saeculo enarravit; propterea hoc scriptum postea etiam denotatum fuit uti “vita Pueritiae Venerabilis Patris [Stanislai]”⁹.

Scitur quod P. Wyszyński scribendo dictam biographiam P. Stanislai etiam *SC* prae manibus habuit¹⁰ et allegando in hac biographia fragmenta hic praesentata eorum authenticitatem his verbis attestat: “Hic refero verba manu ipsiusmet Venerabilis Servi Dei Stanislai scripta”¹¹ et: “verba, quae eius propria manu descripta reperiuntur”¹², sine tamen indicatione ex quali eius scripto proveniunt. Videtur tamen quod *SC* erat unicus fons ex quo P. Wyszyński haec duo fragmenta desumere, et in quo multa alia facta pueritiam et iuventutem p. Stanislai respicientia pro sua *VW* (§§ 1-21) invenire potuit¹³.

Textus duorum fragmentorum *SC* est notus nobis unice ex exemplari authentico (1772)¹⁴, in: C. Wyszyński, “Vita Venerabilis Servi Dei Patris Stanislai a Iesu Maria [...]” (*VW*), §§ 18. 20, Ms., 1754. - Arch. Post. MIC.

SC typis datum est anno 1977 in editione critica uti pars *VW* in *Positione*¹⁵.

⁸ Cf. *Positio*, p. 655, no. 20.

⁹ Cf. *Ibid.*, p. 654, no. 19; p. 11: Doc. I, *intr.* 3, b.

¹⁰ Cf. *Ibid.*

¹¹ Vide: *VW*, § 18 : *Positio*, p. 669.

¹² Vide: *ibid.*, § 20: *ibid.*, p. 671.

¹³ Cf. *Positio*, pp. 654-655: Doc. XVIII, *intr.*: “Fonti”, 2.

¹⁴ Cf. annotationem in fine huius exemplaris: “Concordat cum suo originali manu scripto V.P. Casimiri a S. Josepho, quod in processu informativo reproductum fuit. Ita attestor Ego Antonius Ribeyro Rosha Notarius Ecclesiasticus, qui et Actuarius fui in dicto Processu. - Chacim Die 18 Novembris an. 1772”.

¹⁵ Cf. *Positio*, pp. 669-670. 671 (Doc. XVIII, §§ 18. 20).

a.

In **Fragmento Primo** (a) invenitur reflexio, in forma gratiarum actionis Deo, super antea in *VW* narratis eventibus penosis, qui iuveni Stanislao Papczyński Leopoli (in Lwów) annis 1648-1649 acciderunt¹⁶.

Sis tu in aeternum Domine benedictus, et fac me pos[t] tot mala¹⁷ in vocatione mea¹⁸ bona operari, cum revera, ex me, ad nihil boni aptum me esse adinvenio. Tu vero qui haec legis, ne mireris, quod a me relata sunt, nam beneficia Dei abscondere nefas esse duxi, teque volui incitare ad laudandum Dei omnipotentiam et circa nos curam. Cui sit laus, honor, gloria in sempiternum. Amen.

b.

In **Fragmento Altero** (b) invenitur reflexio, in forma gratiarum actionis Deo, circa emolumentum spirituale, quod iuveni Stanislao experientia pascendi oves in aestate anni 1650 contulit.

Hoc accidit ex eo, quod collegium Scholarum Piarum Podolinii, in quo Stanislaus anno scholastico 1649-1650 studens *syntaxae* fuit, ob pestem ex Hungaria advenientem clausum est et Papczyński probabiliter in medio mensis Maii ad domum paternam in Podegrodzie sitam reverti debuit. Hic a patre "bubulcus factus est: rediit iterum ad pascendas oves (nam pater gratis victum non dabat) ille Podolinensium Musarum Alumnus"¹⁹.

¹⁶ Cf. *VW*, §§ 16-19 : *Positio*, pp. 667-670. P. Wyszynski, uti dictum est, notitiam de eis e *SC* desumpsit et dolores, tum physicos quam morales, quos Stanislaus Leopoli passus est, uti "crux Leopoliensis" denominat: "Cum hac gratiarum actione Deo [Ven. S.D. Stanislaus] concludit hanc suam relationem de illa cruce Leopoliensi..." (*ibid.*, § 18).

¹⁷ Loquitur hic evidenter de peccatis, quae in iuventute sua patravit et in *SC* enarravit; cf. *Positio*, p. 669, no. 29.

¹⁸ Agitur evidenter de sua vocatione ad Institutum Scholarum Piarum.

¹⁹ Cf. *VW*, §§ 19-20 (*Positio*, pp. 670-671); cf.: *Positio*, pp. 17-18 (Doc. I, 3).

Gratias itaque Deo ago, quod illius nutu, tunc ad custodienda pecora a Parentibus meis obligabar, quia (audeo id bona conscientia referre) dum in campis inter pecora versor puram conscientiam gero et sanctam!^a Utinam Domine mi, quod supplex a te peto, eiusmodi Tuæ Maiestatis providentia, quod spero futurum et credo, in finem usque vitæ meæ me dirigat, ut tu benedictus sis in omnibus operibus, cogitationibus et sermonibus meis. Amen.

^a In Ms. est hic signum interrogationis (?), sine tamen logica ratione. Proinde præsumitur quod in Ms. originali erat signum exclamationis, quod aliquando in descriptione formam signi interrogationis assumit.

2.

Professio votorum simplicium

Varsaviae, 22 VII 1656

a. **Contenta.** - Hoc scriptum-documentum (*PVSim*) a Stanislao a I.M. Papczyński exaratum continet eius *professionem* votorum simplicium in Instituto Scholarum Piarum simul cum *iuramento perseverantiae* in hoc Instituto.

Ad hoc documentum principale adiunctae sunt quattuor *promissiones*:

- 1) relate ad mutationes normae Constitutionum circa paupertatem;
- 2) circa non procurandas praelationes vel dignitates in Instituto;
- 3) circa non procurandas dignitates seu praelationes extra Institutum;
- 4) circa manifestationem transgressionis eorum, de quibus in “2” et in “3”, ab aliis.

b. **Origo.** - Novitiatus apud Piaristas, uti iam dictum est¹, illo tempore biennis erat. Proinde Papczyński, secundum annum novitiatus Varsaviae agens (1655-1656)², sperabat decurrente secundo anno die 2 Iulii 1656 professionem votorum in Instituto Scholarum Piarum eodem die emittere.

Quod tamen non evenit, imprimis quia Alexander VII ope brevis *Dudum felicitis recordationis* die 24 ianuarii 1656 in lucem editi novum statum iuridicum huic Instituto concessit, vi cuius id mutatum est in “Congregationem saecularem”, cuius membra emittunt vota simplicia “cum iuramento in eadem Congregatione perpetuo permanendi”³.

Hoc breve publicis iuris factum est Romae die 12 martii 1656⁴, attamen nova formula professionis votorum correspondens novo statui iuridico huius Instituti definita est a Congregatione Generali Piaristarum solummodo die 18

¹ Cf. *supra*, 1, *intr.*, a.

² Cf. *Positio*, pp. 28-33 (Doc. II, *intr.*, D).

³ Cf. *BullRom* XVI (1869) 118a-122b. Tale iuramentum introductum est quia illo tempore vota simplicia, aliter quam vota sollemnia, considerabantur uti parum Instituto devincientia. Cf. *Positio*, pp. 40. 504-505.

⁴ Cf. *Positio*, p. 40, no. 2.

lulii eiusdem anni⁵. Itaque die 2 Iulii 1656, quo Papczyński novitiatum terminavit, haec formula non solum non erat adhuc in Polonia “authentice accepta”, sed neque adhuc Romae definita. Novitius Papczyński probabiliter iam tunc ad vota emittenda admissus erat⁶, sed probabiliter ei dictum est quod pro emissione professionis novam eius formulam expectare debuit.

Cur proinde decisum est denique non expectare eam et permittere novitio Papczyński vota die 22 Iulii 1656 emittere? Nescimus. Probabiliter tamen Superiores ad talem decisionem pervenerunt ob sequentes rationes: Polonia tunc eventibus bellicis valde conturbata erat et parva erat spes accipiendi notitias Roma brevi tempore. Interea novitius Papczyński probabiliter semper plus insistebat ut inveniretur aliqua solutio pro sua prompta professione, i.e. sine necessitate expectandi novam formulam.

Et denique talis solutio in via consilii inventa est: Papczyński utetur formula primitiva, i.e. ea quae ante annum 1646 in Ordine Scholarum Piarum adhibebatur⁷, accomodata tamen ad vota simplicia et cui adiunctum erit iuramentum perseverantiae, uti breve pontificium praescripsit. Et sic etiam factum est⁸.

c. **Textus.** - Textus *PVSim* est adhuc exstans in sua forma originali, i.e. uti autographum manu novitii Stanislai a I.M. Papczyński exaratum, et est conservatum in Archivio Generali Scholarum Piarum Romae⁹. Textus *PVSim* pro hac editione desumptus est ergo directe ex hoc autographo, attamen pro comparatione in annotationibus textualibus adiungantur lectiones ex formula primitiva: “F”.

Conatus factus est hic habendi etiam eandem configurationem graphicam ac in autographo.

⁵ Cf. *Ibid.*, no. 3.

⁶ Libri administrativi Domus Varsavienis Piaristarum ex his annis non amplius exstant. Quapropter nescimus quando et qualis fuit exitus positivus scrutinii, quo novitius Papczyński ad vota emittenda admissus est.

⁷ Vide tenorem huius formulae in *Const.S.P.*, p. 10 (PI, c.III, n.IV), cuius variae lectiones (relate ad *PVSim*) videri possunt in annotationibus textualibus.

⁸ Cf. *Positio*, pp. 40-41. Possibile est quod novitius Papczyński habuit aliquam partem in accomodatione formulae primitivae professionis ad novum statum iuridicum Instituti Scholarum Piarum.

⁹ AGSP, Reg.Rel. 73: “Professiones ab anno 1656 usque 1670”, f. 17.

PVSim typis datum est prima vice anno 1960 a G. Navikevičius et erat pars Appendicis ad eius dissertationem ad Lauream adiunctae¹⁰. Notandum est quod is in textum inclusit additamentum posteriorem: “Podgrodio Sandecensis - Dioecesis Cracoviensis”, sine ulla indicatione quod haec verba ad textum originale autographi non pertinent (vide nostram annotationem textualem “a”).

PVSim etiam typis datum est anno 1977 in *Positione*, uti pars documentationis in Causa Beatificationis Servi Dei Stanislai a I.M. Papczyński¹¹. Notandum est quod *Positio* continet etiam reproductionem photographiam autographi *PVSim*¹².

Notandum est quod in calce huius documenti manu diversa (tabularii Romani ?) sequens annotatio facta est: “Absolutus a votis simplicibus Cracoviae etc. 1671”. Est tamen informatio erronea, quia P. Papczyński talem absolutionem non anno 1671, sed anno 1670 obtinuit¹³. Insuper in summate chartae huius documenti similiter annotatio facta est: “22 Iulii 1656 Varsaviae”.

¹⁰ Cf. G. Navikevičius, MIC, *Stanislao di Gesù Maria Papczyński (1631-1701), Scolopio e Fondatore della Congregazione dei Padri Mariani*, Dissertatio ad Lauream in Facultate Historiae Ecclesiasticae Pontificae Universitatis Gregoriana, Roma 1960, (*Nav.*), *Append.*, pp. 3*-4*.

¹¹ *Positio*, pp. 42-43 (Doc. II, 4).

¹² Vide : *ibid.*, post p. 887.

¹³ Cf. *Positio*, p. 192.

Ego Stanislaus a Iesu Maria in saeculo Ioannes Papczyński⁹ a^b an-
 norum viginti quinque^b facio meam professionem in Congregatione
 Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, et voveo omnipotenti Deo,
 Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, ac Deiparae semper Virgini Mariae, et
 tibi R.P. Alexandro a S. Bernardo¹⁰ locum Dei tenenti ^cpro A.R.P.
 Generali Ioanne a Iesu Maria^{c11}, et omnibus Successoribus eius^d legit-
 ime eligendis ^etria Vota Simplicia^e, ^f Paupertatem, Castitatem, ^g
 Obedientiam, et iuxta eam^h peculiarem curam circa puerorum erudi-
 tionem, secundum formam Brevis Pauli V in nostrisⁱ Constitutionibus
 contentam¹². ^jInsuper iuro me perseveraturum toto tempore vitae meae
 in dicta Congregatione iuxta formam Brevis Alexandri VII ^{j13}. Quam
 Professionem et Vota, quibuscunque in contrarium existentibus, quibus
 nunc libere et integre renuntio, non obstantibus, firma, rata et valida
 semper fore et esse volo. In quorum fidem ^k subscripsi ^l hac die 22
 mensis Iulii Anni 1656. Varsaviae^m.

^a *hic super lineam inscripta sunt manu diversa posteriore (a tabulario Romano?)
 verba: "Podgrodio Sandecensi - Dioecesis Cracoviensis". Talis annotatio forse facta
 est post annum 1683, quo Capitulum generale Ordinis Scholarum Piarum statuit quod
 in formula professionis post nomen et cognomen neoprofessi indicanda sunt: "Patria
 N." et "Dioec. N."; cf. Const. S.P., P. I, c. III, n. IV, no. 35.*

^{b-b} *om., i.e. aetas secundum formulam primitivam (F) non erat indicanda*

^{c-c} *non requiritur talis indicatio in "F"*

^d *"Tuis" (F)* ^{e-e} *om.(F)* ^f *add. "summam" (F)* ^g *add. "et" (F)*

^h *om. (F)* ⁱ *"his" (F)* ^j *om. (F)* ^k *add. "his a me exaratis" (F)*

^l *add. "Romae" (F)* ^m *om. (F)*

⁹ *In Ms. Professionis cognomen "Papczyński" requiritur siglis: "D.N."*

¹⁰ *P. Alexander Novari († 1657), Vicarius Provincialis per Polonia, residens Varsaviae
 ab anno 1653; cf. Positio, p. 42, no. 1.*

¹¹ *P. Ioannes Garcia del Castillo, Generalis Scholarum Piarum (1656-1659).*

¹² *Breve "Ad ea, per quae" e die 6 Martii 1617; v. Const.S.P., pp. 111-113.*

¹³ *Vide supra, no. 3.*

Insuper promitto me nunquam acturum, ^anec curaturum^a, nec ratione aliqua consensurum; ut, quae ordinata sunt circa Paupertatem in Constitutionibus nostrae Congregationis immutentur, nisi quando ex iusta causa videretur Paupertas ^brestringenda¹⁴.

Praeterea promitto me nunquam acturum, nec curaturum, ne indirecte quidem; ut in aliquam praelationem vel dignitatem in Congregatione eligar seu promovear.

Promitto etiam me nunquam curaturum extra Congregationem aliquam dignitatem, seu Praelationem, nec consensurum, nisi coactus sim obedientia eius, qui mihi praecipere possit^c sub ^dpaena peccati^d. Tum si quem sciam aliquid praedictorum duorum curare vel praetendere, promitto ^e illum remque totam manifestaturum Congregationi vel ^feius Generali Praeposito^g.

Vota mea Domino reddam coram omni populo eius, [.....] in atriis Domus Domini, in medio tui Ierusalem¹⁵.

Ego Stanislaus a Iesu Maria manu propria omnia supradicta confirmo.

Iacobus a S. Barbara¹⁶ interfui mpp.

Ioannes Casimirus a S. Theoph[i]lo¹⁷ mpp.

a-a om. (F) b add. "magis" (F) c "potest" (F)

d-d "peccato" (F) e add. "me" (F) f "seu" (F) g "Praefecto" (F)

¹⁴ Hanc promissionem de non consentiendo ut quae ordinata sunt circa Paupertatem immutentur, sicut etiam verbum "summam" (v. supra, p. 11, no. e), in professionis formula Cap. Gen. 1659 omittenda esse declaravit (cf. Const.S.P., p. 10, no. 35).

¹⁵ Nec in "F" nec in "PVSim" indicantur uti verba allegata e Ps 115, 14.19.

¹⁶ P. Iacobus Weczirka (a. Wezyrka) a S. Barbara († 1668) residentiam Varsaviae a mense Augusti an. 1654 habuit; cf. Positio, p. 43, no. 6.

¹⁷ Ioannes Casimirus Bukar a S. Theophilo († 1701) habitum Scholarum Piarum Varsaviae a P. Alexandro Novari accepit ibique novitiatum fecit, sed professionem votorum Ressorviae anno 1657 emisit; cf. Positio, p. 43, no. 7.

3.

Protestatio Romam abeuntis

[Varsaviae, ca 20 X 1667]

Protestatio Romam abeuntis (PRAb) est scriptum exaratum a P. Stanislao a I.M. Papczyński anno 1667, brevi ante suum “*iter Romanum*”¹.

a. **Auctor.** - Auctor huius scripti se denotat in eius initio uti “Stanislaus a Iesu Maria”, et sine dubio eius cognomen est “Papczyński”, quia illo tempore non erat in Instituto Scholarum Piarum alius sodalis cui nomen (religiosum) esset “Stanislaus a Iesu Maria”.

Insuper pro nostra thesi datur clara evidentia tum *interna* tum *externa*:
- evidentia *interna*:

a) auctor se indicat uti “Patria Podgrodio Sandecensis natione Polonus” et haec data personalia plane concordant cum loco et natione ubi natus est Pater Papczyński;

b) multa quae sunt in *PRAb* narrata, sunt nobis etiam nota ex aliis scriptis et documentis Patrem Stanislaum Papczyński respicientibus (uti patet ex nostris annotationibus ad *PRAb*).

- evidentia *externa*:

a) auctor se indicat uti “Peccator”, et scimus quod etiam alibi P. Papczyński solebat se declarare “peccator Stanislaus” et ita litteras subnotare, quia eum “humilitas tam copiosa [...] repleverat, ut propria aestimatione nihil sibi videretur, nisi peccator”²;

b) tota traditio Instituti Marianorum identificat auctorem *PRAb* cum Patre Fundatore, Stanislao a I.M. Papczyński³.

¹ Cf. *Positio*, pp. 102-103 (Doc. V, intr. D)

² *VF*, § 46, in: *Positio*, p. 642. Cf. *Informatio*, p. 176, no. 34.

³ Cf. *Positio*, p. 578 (Doc. XV, Art. II, A, a, II, 2).

b. **Tempus et locus compositionis.** - Ubi et quando P. Papczyński scripsit *PRAb*? Non invenimus explicitam informationem de hac re nec in hoc ipso scripto, nec in aliis scriptis. Attamen ex contentis inferri potest quod scripsit *PRAb*:

- *post* diem 27 Septembris 1667, et
- brevi *ante* profectionem Varsavia Romam (quae accidit versus finem Octobris 1667).

Notandum est autem quod auctor mentionem facit de *duabus* litteris quibus fuit vocatus a Generali Romam, et altera “obedientia” vix potuit pervenire ad eum ante medietatem Octobris⁴, proinde supponendum est quod scripsit *PRAb* Varsaviae ca 20 Octobris 1667.

c. **Titulus.** - *PRAb* continet duas partes aliquantum diversas:

- (I) primam, quae praesentat “protestationem” veram et propriam, et
- (II) alteram, in qua P. Papczyński exponit rationem sui propositi itineris Romani (§§ 2-5).

Probabiliter in autographo istae duae partes non habebant ullum titulum (nec communem, nec separatum), et credi potest quod fuit scriptor-redactor *Protocoll*i originalis, qui describendo *PRAb* in hunc librum titulum: “Protestatio Romam abeuntis” pro eius prima parte, et titulum: “Causa Romanae Peregrinationis eiusdem Patris” pro eius altera parte imposuit.

Cur igitur adoperatur in hac editione pro toto hoc scripto ex his duabus partibus constante titulus primae partis? Utique, possibile esset adhibere titulum, qui comprehenderet contenta ambarum partium, et conatus hoc faciendi antea factus est.⁵

Attamen, per evitare confusionem, dum titulus alterae partis conservatur, totum scriptum denotatur titulo primae partis, quia hoc fecerunt duo principali biographi moderni Patris Stanislai Papczyński (Sydry et Navikevičius⁶) et idem factum est in *Positione*⁷.

⁴ Cf. *Positio*, pp. 99-100 (Doc. V, intr. B, 2).

⁵ Cf. *Positio*, p. 126, no. 1; p. 127, no.5.

⁶ Cf. Syd., pp. 60-61; Nav., Tav. I, n. 2.

⁷ Cf. *Positio*, pp. 126-127 et no. 6 in p. 127.

d. **Textus.** - Autographum *PRAb* non exstat amplius: secundum traditionem in Ordine Marianorum id pertinebat ad documenta originalia Archivi Marianorum quae “una cum Pare Ioachimo [Kozłowski] Procuratore Generali Causarum in Vistula fluvio submersa perierunt” (ca an. 1730), ac proinde necessarium erat notario eius exemplar pro fine Processus Beatificationis S. D. P. Stanislai ex libro *Protocolli Ordinis* exarare⁸.

Sed hodie nec exstat exemplar *PRAb* factum ca annum 1705 in dicto *Protocollo* originali, quia hoc totum *Protocollum* non amplius exstat⁹.

Itaque hodie textus *PRAb* notus est nobis solummodo ex duobus exemplaribus, quae facta sunt ex eodem *Protocollo* originali:

- unum ca an. 1744 in descriptione huius *Protocolli*¹⁰: “A”;
- alterum die 23 Iunii an. 1773 a notario Apostolico in transumpto documentorum Patrem Papczyński spectantium¹¹: “B”.

Duo exemplaria “A” et “B”, provenientia ex eodem fonte, sunt quoad textum quasi eadem. Paucae lectiones diversae indicantur in annotationibus textualibus. In hac editione (sicut etiam in *Positione*¹²) praesentatur exemplar “B” non solum quia est authenticum, sed etiam quia videtur magis accurate descriptum.

Textus in Ms. continuus divisus est (*a capō*) in hac editione in 5 paragraphos secundum diversitatem materiae (eodem modo ac in *Positione*).

PRAb prima vice, secundum exemplar “A”, typis impressum est anno 1960 a Navikevičius¹³. Lector monendus est tamen de praesentia aliquarum omissionum et errorum in textu ab eo ibi praesentato.

⁸ Cf. APS 5, f. 56r.

⁹ Cf. *Positio*, p. 127 (Doc. V, 2, intr.) et no. 2 in p. 127.

¹⁰ Vide hunc textum in *Prot.*, pp. 119-122.

¹¹ Vide hunc textum in AAP: APS 5, ff. 59v-60r.

¹² Vide: *Positio*, pp. 128-132 (Doc. V, 2).

¹³ Nav., *Append. I*, pp. 4*-5*.

I. [Protestatio Romam abeuntis]

1. - In Nomine Domini Amen. Ego Peccator Stanislaus a Iesu Maria (sacratissimis nominibus) dictus, Patria Podgrodio Sandecensis natione Polonus, sancta Dei Providentia a Patre nostro Generali Praeposito Cosmo a Iesu Maria¹⁴, binis literis ad Patrem nostrum Provinciale (Wenceslaum)^a a Sanctissimo Sacramento¹⁵ missis, vocatus Romam¹⁶, accipio, cum summa reverentia, humilitate, alacritate, resignationeque pure ob amorem Dei et Domini Iesu Christi, in honorem Virginis Beatissimae Dominae meae et Sanctorum Patronorum Patronarumque mearum, Angelorumque Tutelarium, totiusque Curiae coelestis ^bhonorem, datam^b mihi obedientiam die 27 Septembris ^c1667. Eam^c propono exequi quam perfectissime iuxta Dei beneplacitum: offerendo Domino Deo meo in unione obedientiae et meritorum Domini nostri Iesu Christi, tum Virginis Sanctissimae caeterorumque Sanctorum, totius itineris fatigationes, labores, incommoda, molestias, cogitationes, orationes, verba, colloquia, actiones et opera, casus, pro beneficiis in me collatis (et ipsam etiam mortem si acciderit), pro peccatis meis, pro avertendis plagis a mea Patria, pro persecutoribus Instituti mei et meis, pro benefactoribus, praesertim vivis, pro amicis et inimicis. Cupioque^d unice ut Dominus Deus glorificetur, ita in meo itinere ex obedientia

a om. (A) b-b “honorem. Datam” (A; B), sed erronee sec. contextum

c-c “1667 eam” (A; B), sed erronee secundum contextum

d “Curoque” (A)

¹⁴ P. Cosmus Chiara a Iesu Maria, S.P. (1616-1681), Praepositus Generalis Instituti Scholarum Piarum (1665- 1671). Cf. SÁNTHA G., S.P., “P. Cosmus Chiara ...”, in: Eph. Cal. XXX (1961). Cf. etiam: Positio, p. 254, no. 3.

¹⁵ P. Venceslaus Opatowski a SS.mo Sacramento, S.P. (1627-1680), Superior Provinciae Polonae (1665-1671). Cf. Positio, pp. 24-25 (Doc. II, intr. B, a) et p. 258, no. 26.

¹⁶ Cf. Positio, pp. 99-100 (Doc. V, intr. B, 2).

suscepto, sicut glorificatus est in itinere et peregrinatione Abraham, Iacob et Ioseph, in obedientia omnium creaturarum suarum, in laboribus, fatigationibus, praedicationibus, persecutionibus et passione Domini mei Iesu Christi, in doloribus Beatissimae Virginis Mariae, in obedientia omnium Apostolorum et servorum suorum.

II. [Causa Romanae Peregrinationis eiusdem Patris].

2. - Causa itineris mei fuit zelus ardentissimus, circa observandum in Polona nostra Provincia exactum rigorem Constitutionum, Rituum, Capitulum, ac maxime circa electionem Superiorum in Provincia habendam, iuxta Concil[*ii*] Triden[*tini*]^a Sacros Canones, primum Breve Alexandri Septimi nobis concessum, et decretum primae Congregationis Provincialis habitae Podolinii¹⁷, sub Provincialatu Patris Iacobi a Sancta Barbara¹⁸, meque vocali existente Domus Varsaviensis¹⁹, in qua^b nemine contradicente in hanc sententiam conventum erat, ut daretur supplicatio ad Congregationem Generalem pro hac electione Superiorum omnium in Provincia obtinenda²⁰; et quia nostri vocales²¹ attulere nobis Roma tale responsum: Polona Provincia

a “*Tridentinum*” (A) b “*quo*” (*ibid.*)

¹⁷ Cf. *Positio*, pp. 89-94 (Doc. V, intr. A, 2). Agitur hic de Breve “*Dudum felicis recollectionis*” e die 24 Ianuarii 1656. Sermo est de Capitulo Provinciali quod locum habuit Podolinii diebus 24-31 Augusti 1664 et quod fuit “*prima Congregatio*” post institutionem Provinciae Polonae Scholarum Piarum anno 1662; cf. *AGSP*, Prov. Pol. in gen., n. 15.

¹⁸ P. Iacobus Wezyrka (a. Weczirka) († 1668), Superior Provinciae Polonae Scholarum Piarum (II 1664 - V 1665).

¹⁹ Cf. *Positio*, pp. 87-89 (Doc. V, intr. A, 1).

²⁰ Vide tenorem huius supplicationis in: *Positio*, p. 88, no. 11.

²¹ Delegati (“*vocales*”) Provinciae Polonae in Capitulo Generali, quod locum habuit Romae mense Maii 1665, erant: P. Venceslaus Opatowski et P. Paulus Frankovič. Adfuit etiam ex officio P. Iacobus Wezyrka, uti Provincialis.

in futuro Capitulo Provinciali sibi eliget (Pater Venceslaus tum vocalis, et inde Provincialis restrinxit ad numerum trium Candidatorum pro solo Provincialatu) ex quibus confirmabimus, nempe Generalis cum Assistentibus²², imminente itaque tempore celebrandae Congregationis Provincialis²³, ego illius celebrationem urgebam; quae res quia^a intentum aliquod Maiorum meorum (qui forte volebant ab electione supersedere, ut ipsi diutius praessent) videbatur impetere, scripserunt ad Generalem, non esse opus ^billa Congregatione^{b24}. Quare iam post assignatum illius habendae Podolinii locum declarat Provincialis non fore eandem, scribitque, scribendum esse Romam, si quis voluerit illam habere, ut eius habenda[e] licentia concedatur, se enim illam minime velle impedire²⁵.

^a *additamentum, supra lineam, uncis curvis inclusum (A; B), proinde supponitur quod verbum "quia" omissum est - ob inadvertentiam - in exemplari PRAb in Protocollo originali.*

^{b-b} *additamentum (B - sine uncis; A - cum uncis) verborum quae evidenter - ob inadvertentiam - omisa sunt in exemplari (Prot.).*

²² Cf. *Positio*, pp. 93-94 (Doc. V, intr. A, 2, "Ad tertium").

²³ *Secundum Constitutiones* (cf. *Const.S.P.*, P. III, c. IV, n. VIII) *Capitulum* ("Congregatio") *Provinciale celebrandum erat mense Augusti 1667 an.* Cf. *Positio*, p. 129, no. 13.

²⁴ "Maiores" - *probabiliter P. Provincialis Venceslaus Opatowski et eius Assistentes, scripserunt has litteras ad P. Generalem Cosmum Chiara probabiliter initio mensis Aprilis 1667. Notandum est tamen, quod supplicaverunt dispensationem a convocatione Capituli Provincialis non solum quia non eo opus esset (quasi non essent in Provincia "res dubiae et difficiles" ad tractandum in eo), sed etiam - et forse praesertim - ob assertos "disturbi del Regno, e pericoli de' viaggi, e spese". Cf. Positio, p. 97 (Doc. V, intr. B, 1); p. 132 (Doc. V, 3, a); p. 295 (Doc. IX, 6, §3).*

²⁵ *Litterae cum hac notificatione (hodie non amplius exstantes) mandatae sunt ad Domos Provinciae Polonae Scholarum Piarum a P. Provinciali Opatowski probabiliter circa medietatem mensis Iulii 1667. Cf. Positio, p. 98 (Doc. V, intr. B, 1).*

3. - Legi has literas Provincialis Patribus Varsaviensibus, quibus tum loco Superioris infirmante graviter Patre Iacobo²⁶ eram. Infremuere omnes, agebantque aliqui iugum Superioribus excutiendum esse praesentibus, qui rem legitimam, quasi aperta ambitione stimulatim impediabant. Huius sententiae fuit Pater Casimirus ab Annuntiatione B.V. Mariae Polonus²⁷ et Pater Nicolaus a Sancta Maria Silesius²⁸. Alter autem Nicolaus ab Immaculata Conceptione²⁹ esse ab omnibus Eminentissimo Protectori³⁰ supplicandum, agebat, accusandosque Superiores, quod sanctam observantiam relaxent. Tandem sedato tumultu, me authore id conclusum est, ut omnes daremus literas ad Patrem Generalem petendo Capitulum Provinciale^a celebrandi licentiam³¹. Quae si negaretur, tunc videndo proximam ruinam Provinciae (quae merito metuebatur, tum ob

a “Provincialis” (B), erronee relate ad “Capitulum”; in “A” scriptor exemplaris haec verba abbreviata reliquit: “Capit... Provinc...”

²⁶ P. Iacobus Wezyrka fuit Superior Domus Varsaviensis a mense Maii 1665 an. usque ad suam mortem (23 V 1668). Videtur quod adunatio membrorum huius Domus, in qua lectae et discussae erant litterae Provincialis, locum habuit ca diem 20 Iulii 1667.

²⁷ P. Casimirus Paczyński (1641-1711), ordinatus sacerdos mense Octobris 1666, fuit membrum Domus Varsaviensis ab anno ca 1663; cr. Positio, p. 130, no. 17.

²⁸ P. Nicolaus Faber (1637-1680), ordinatus sacerdos mense Octobris 1666, fuit membrum Domus Varsaviensis ab anno 1663; cf. Positio, p. 130, no. 18.

²⁹ P. Nicolaus Hausenka (1637-1683) fuit associatus cum Patre Papczyński Varsaviae ab anno 1664, sed amotus Varsavia sub fine anni 1665, ibi reversus est probabiliter ca mensem Aprilis 1667 an.; cf. Positio, p. 130, no. 19.

³⁰ Illo tempore Institutum Scholarum Piarum pro Protectore e parte S. Sedis Cardinalem Marzio Ginetti (1585-1671) habuit; cf. Positio, p. 130, no. 20.

³¹ Hae litterae mandatae sunt Varsavia Romam probabiliter mox post dictum conventum Domus Varsaviensis (ca diem 20 Iulii 1667) et indubitanter principaliter ob eas Generalis Cosmus Chiara dedit licentiam convocandi Capitulum Provinciae Poloniae anno 1667; cf. Positio, p. 98; pp. 132-133 (Doc. V, 3,a, no. 4); p. 299 (Doc. IX, 6, §5).

factiones intestinas³², tum ob Iesuitarum contra nos conspiracy³³, cuius ego solus cum quatuor Sacerdotibus Varsaviensibus conscius eram, eamque toti Provinciae in futuro^a Capitulo detegere, una cum quadam occultae proditiōis suspitione^{b34} volebam) ad electionem novorum Superiorum habita Bulla et Generalis concessione procedere-mus, admonitis omnibus, ad quos ea res ^cspectaret. Non^c tamen illa facturi eramus impudenter aut^d tumultuose, aut factiose, at cum sancta quiete et charitate, explorando etiam aliorum Provinciae Patrum consensus et mentes.

^a additamentum supra lineam (A; B)

^b additamentum similiter (B)

^{c-c} “spectaret, non” (B), sed secundum interpunctionem hodiernam hic punctum

loco commatis est ponendum

^d additamentum supra lineam (A; B)

³² Nescimus exacte quales “factiones” P. Papczyński hic prae oculis habuit. Denotat eas uti “intestinas” (i.e. internas), ac proinde quae intra Provinciam Polonam existebant. Forsitan erant eaedem factiones, quas alibi his verbis improbabat: “Anthipatia et simpathia maxime prohibita, summopere se in Scholas Pias insinuaverat, ut iam saepius audiretur, ego Petri, ego Pauli” (*Apologia*, § 39, in: *Positio*, p. 270).

³³ Agitur hic de “conspiracy” qua Iesuitae se praeparabant ad aperiendum proprium Collegium Varsaviae. Piaristae talem intentum uti minationem considerabant, videndo in Collegio Iesuitarum temibilem simultatem pro Collegio Piaristarum. Cf. *Positio*, pp. 111-112 (*Doc. V*, intr. F, 4); p. 130, no. 22.

³⁴ Nescimus de quali “occulta proditiōe” hic agitur et quis in suspiciōnem cecidit. Forsitan est adhuc questio connexa cum dicta “conspiracy” Iesuitarum, nam - secundum Kraus - P. Papczyński “inculcabat suis continue: patrem Franciscum [Haligowski, Rectorem Varsaviensem] aliosque Superiores sponte sua perditum ire domum et gymnasium Varsaviense, velleque iam in manus alienas tradere, eo quod consilium suum ad obsistendum patribus Societatis Iesu Varsaviae per vim gymnasi-um aperiētibz, sequi noluerit pater Franciscus” (*Positio*, p. 311).

4. - Forte fuit de re ea admonitus Pater Provincialis³⁵, itaque protinus advolavit Varsaviam³⁶, pertractisque ad se iis ipsis, qui iugum eius volebant excutere, ea qua pollebat capiendi animos hominum arte, mecum aliis Sanctae Observantiae tum zelatoribus (erat Onuphrius a Sancto Philippo Nereo³⁷, Alexius a Sancto Iosepho³⁸, Antonius a Sanctissimo Spiritu³⁹, Ioannes a Sancto Iacobo⁴⁰) omnino Capituli celebrationem urgente secundum legem nostram.

³⁵ *Provincialis Opatowski edoctus est a P. Iacobo Wezyrka, Rectore Varsaviensi, "de tumultu et coniuratione, quam P. Stanislaus a Iesu Maria Varsaviae inter sacerdotes facerat ob denegatum iniquissime (ut ipse aiebat) Capitulum Provinciale"* (Positio, p. 134, c); cf. *ibid.*, p. 99 (Doc. V, intr. B, 1).

³⁶ *Provincialis Opatowski advenit Varsaviam ca 29 Iulii 1667; cf. Kr., p. 279, in: Positio, p. 297.*

³⁷ *P. Onuphrius Zawadzki (ca 1639-1679), membrum Domus Varsaviensis ab ca an. 1662, sacerdos ab ab. 1664, annumeratur a Kraus iis qui anno 1667 erant "confoederati cum patre Stanislao Varsaviae"; cf. Kr., p. 280, in: Positio, p. 297. Cf. etiam: Positio, p. 131, no. 26.*

³⁸ *P. Alexius Pawlarski (n. 1635), membrum Domus Varsaviensis ab an. ca 1663, sacerdos ab an. 1665 (III), confoederatus anno 1667 "cum patre Stanislao Varsaviae"; cf. Kr., *ibid.*; cf. Positio, p. 131, no. 27.*

³⁹ *P. Antonius Kruszyna (1639-1709), membrum Domus Varsaviensis ab an. ca 1664, sacerdos ab an. 1666 (III), confoederatus anno 1667 "cum patre Stanislao Varsaviae"; cf. Kr., *ibid.*; cf. Positio, p. 131, no. 28.*

5. - Ventilabatur haec controversia aliquot diebus; tandem advenit Roma facultas Capituli celebrandi⁴¹. Sed quia forte verebantur mei Superiores, ne ego in eo promoverem rem plane iustissimam, ut saltem vilicationis suae rationem redderent, neve quasdam factiones detegerem⁴², Romam obligare me (quo ego, ut iam innui, non solum promovendae observantiae causa, sed maxime devotionis gratia [*me conferre*]^a desiderabam, sed non tam cito, nec tam importuno tempore) decreverunt. Unde Provincialis minatus est mihi carcerem, nisi Generali obedirem. Quaerebam ego, qua in re, et cur mihi cum publicatur Capitulum locale, datur mandatum in virtute obedientiae Romam eundi” hanc esse voluntatem Generalis. Intellexi ego optime, quo res dirigeretur, et quamvis a gravissimis etiam viris, utriusque Theologiae, et Mysticae, et Practicae peritissimis⁴³ admonerer, ne me in apertum periculum conicerem⁴⁴, neve tam simplex in obediendo essem, tamen facta hac, quam superius legere est protestatione in conspectu Divinae Maiestatis, iter Romam adornavi⁴⁵.

^a *Quamvis expressio: “Quo [i.e. Romam] ego [...] desiderabam” possit intelligi in sensu desiderii se Romam conferendi, attamen videtur quod ad rem clarificandam utile esset inserere hic verba: “me conferre”.*

⁴⁰ *Est evidenter error in hoc nomine, quia illo tempore non invenitur in Instituto Scholarum Piarum membrum cum tali nomine. Forsitan P. Papczyński hic voluit scribere: “Ioannes ab Annuntiatione B.M.V.” (Czczota-Czeczioszowski), qui sub fine an. 1666 erat adhuc clericus Ordinum Minorum et officio oeconomi Domus Varsaviensis functus est. Secundum Kraus, cum P. Stanislao anno 1667 etiam clerici confoederati erant (cf. Kr., p. 280 : Positio, p. 298). Cf. Positio, p. 131, no.29.*

⁴¹ *Hanc facultatem P. Generalis Cosmus Chiara die 20 Augusti 1667 dedit; cf. Positio, pp. 132-133 (Doc. V, 3, a). Provincialis Opatowski eam probabiliter ca 20 Septembris 1667 obtinuit; cf. Positio, pp. 99-100 (Doc. V, intr. B, 2).*

⁴² *Cf. supra, no. 40.*

⁴³ *Nescimus qui fuerunt hi eius “admonitores”.*

⁴⁴ *Non erant pericula imaginaria, uti patet ex relatione de duobus itineribus quae P. Papczyński Romam fecit; cf. Apologia, § 3 (Positio, p. 255); VF, § 41 (ibid., p. 641).*

⁴⁵ *P. Papczyński se ad iter Romanum mense Octobris 1667 an. praeparabat; cf. Positio, p. 100 (Doc. V, intr. B, 2).*

4.

Litterae ad P. Cosmum Chiara, S.P.

Cracoviae, 22 XI 1670

Praesentantur hic litterae a P. Stanislao a I.M. Papczyński scriptae directaeque ad P. Cosmum Chiara, Praepositum Generalem Scholarum Piarum (LCC), in quibus P. Papczyński hunc denuo rogat, ut a votis simplicibus et iuramento perseverantiae in hoc Instituto absolvatur.

a. **Origo.** - P. Papczyński iam - uti videtur - versus diem 15 Augusti 1669 *prima vice* supplicavit P. Cosmo Chiara, Praeposito Generali Scholarum Piarum, pro dimissione e hoc Instituto, sine tamen bono exitu, quia dispensa a votis simplicibus in eo reservata erat Summo Pontifici et P. Chiara ab hoc facultatem dispensandi -uti videtur - obtinere non potuit¹.

Perdendo spem obtinendi responsum a P. Generali ad dictam primam petitionem, P. Papczyński eodem Praeposito Generali pro dimissione versus 15 Octobris 1669 *secunda vice* supplicavit².

Forsitan P. Generalis ad hanc secundam petitionem versus medietatem Novembris 1669 respondit, informando P. Stanislauum (in litteris non amplius extantibus) quod facultatem dispensandi non habuit et forsitan proponendo ei recedere a suo intento discedendi ab Instituto Scholarum Piarum in quantum id recenter (die 23 Octobris 1669) ad statum Ordinis votorum solemnium redintegretatum est.

P. Papczyński “responsoriam” ad P. Generalem die 20 Decembris 1669 scripsit, in qua *tertia vice* ei pro dimissione supplicavit, confirmando suam intentionem discendendi ab Instituto Scholarum Piarum, etiam in eius novo statu iuridico, i.e. non intendendo emittere vota solemnia in eo et non volen-

¹ Cf. *Positio*, pp. 145-147 (Doc. VI, *intr.* A, 1: “Prima supplica...”). Hae primae litterae supplicatoriae pro dimissione non amplius extant.

² Cf. *ibid.*, p. 147 (*ibid.*, A, 2). Etiam hae litterae supplicatoriae non amplius extant et nescimus bene earum contenta.

do manere “in Congregatione Votorum Simplicium” sub obedientia Superiorum Regularium (contenta huius tertiae petitionis - non amplius extantis - nota sunt nobis ex responso ad eam die 8 Februarii 1670 dato)³.

Novus Pontifex Romanus (Clemens X) die 29 Aprilis 1670 electus est et de hac electione P. Papczyński probabiliter solummodo versus finem Maii 1670 notitiam obtinuit. Itaque mox postea, nempe die 7 Iunii 1670 Memorialem ad Sedem Apostolicam transmisit, petendo “Sanctae Sedis gratiam”; videtur ergo quod in eo “instavit apud S. Sedem Apostolicam pro dimissione a Religione” Scholarum Piarum⁴.

Responsum ad hanc petitionem fuit datum a Clemente X die 18 Octobris 1670 ope Brevis, in quo facta est provisio generalis pro dimissione omnium Piaristarum qui vota solemniter emittere noluerunt. Simul facultas dimittendi seu absolvendi eos concessa est a Clemente X Generali Cosmo Chiara, proinde hic in litteris e die 24 Octobris 1670 directis ad Episcopum A. Trzebicki, Ordinarium Cracoviensem, declaravit Patrem Papczyński a votis simplicibus et a iuramento perseverantiae absolutum⁵.

Attamen P. Papczyński, ignorando hoc factum, et certior factus de dicta facultate Generali die 18 Octobris 1670 per breve *Cum felicitis recordationis* concessa⁶, die 22 Novembris 1670 ad P. Generalem rursus litteras supplicatorias pro dimissione misit, quia in dicto Breve talis petitio erat praescripta. Est documentum hic praesentatum, in quo P. Papczyński quarta et ultima vice Generali Cosmo Chiara supplicavit pro absoluteione a votis simplicibus et a iuramento perseverantiae in Scholis Piis⁷.

³ Cf. *Positio*, pp. 148-151 (Doc. VI, *intr.* A, 3; Doc. VI, A, 1). In hoc responso legitur inter alia: “potes ad Nos transmittere libellum seu Memoriale tua manu subscriptum et Sacrae Paenitentiariae seu SS.mo Domino Nostro Papae directum in quo supplices pro dispensatione tuorum Votorum Simplicium et Iuramenti de perseverantia a te praestiti et Nos quoad fieri poterit, gratiam tibi concessum iri curabimus statim ac fuerit facta electio novi Pontificis”.

⁴ Cf. *Positio*, p. 171 (Doc. VI, C, *intr.*, 4); p. 203 (Doc. VI, E, 2, §1).

⁵ Cf. *Positio*, pp. 189-190 (Doc. VI, *intr.* E; *intr.* E, 1).

⁶ Cf. *BullRom* 18 (1882) 132a-133b.

⁷ Cf. *Positio*, pp. 207-210 (Doc. VI, E, 4). Notandum est quod ibi in introductione ad textum huius documenti explanatio data est: 1) “come mai venne in mente a Papczyński di dover chiedere ancora una volta ciÀ che egli aveva chiesto prima gi tre volte al Generale [...] ed una volta alla S. Sede [...]”; 2) “come mai il Servo di Dio non seppe il 22 novembre 1670 che le dimissioni gli erano state gi concesse dal Generale con la lettera diretta il 24 ottobre al vesc. Trzebicki?”; cf. *ibid.*, p. 208 (Doc. VI, E, *intr.* 4).

b. **Textus.** - Litterae *LCC* adhuc exstant et notae sunt nobis ex autographo conservato in Archivio Generali Scholarum Piarum⁸.

Documentum *LCC* (cognitum tunc solummodo ex eius exemplari) prima vice typis datum est anno 1960 a G. Navikevičius⁹.

Anno autem 1977 *LCC* in *Positione*, cum Causa Beatificationis Servi Dei Stanislai Papeczyński connexa, in editione critica typis datum est, sed textum sumendo directe ex autographo vel eius photo-exemplo¹⁰.

Pro hac editione conatus factus est preservare eandem configurationem graphicam uti datur in autographo.

a-a

B[enedicite] Admodum Reverende in Christo Pater,
Pater mihi colendissime.

Siquidem, ut mihi nuntiatum est, Sanctissimus Dominus dedit A. R. P. Vestrae potestatem absolvendi eos a votis simplicibus et iuramento perseverantiae (quanquam haec sublata fuisse una cum Brevi primo Alexandri VII supponebamus, iam et credebamus¹¹) qui non haberent animum [*vota*] solennia profitendi¹². Proinde supplico A.R.P. Vestram

⁸ AGSP: Reg. Gen. 203, “*Memorie diversae [...] 1664-1699*”. Photo-exemplum autographi invenitur in: APost MIC, Doc. AGSP, phot. 104-105.

⁹ Vide: Nav., *Append.*, p. 13*. Notandum est quod auctor textum *LCC* desumpsit non ex autographo, sed ex eius exemplari dactylographico facto anno 1951 (AGM: Doc.Hist., Papeczyński, M7, N. 2, p. 7), proinde in suo textu (non completo) errores transcriptionis ivi factos reproduxit.

¹⁰ Vide: *Positio*, pp. 209-210 (Doc. VI, B, 4). Notandum est quod in hoc libro etiam datur reproductio photographica autographi *LCC* (*ibid.*, post p. 888).

¹¹ *Probabiliter talis erronea opinio fundamentum habuit in erronea interpretatione declarationis pontificiae e die 5 Augusti 1670; cf. Positio, pp. 189-190 (Doc. VI, E, intr. 1).*

¹² *Clemens X hanc potestatem P. Cosmo Chiara in Breve “Cum felicitis recordationis” die 18 Octobris 1670 dedit; cf. super, intr., “Origo”.*

ut me dignetur hac absolute impertiri, iam habentem congruam sustentationem iuxta decretum Apostolicum¹³. Quod cum iterum iterumque postulo, me SS. Orationibus eiusdem commendo. Cracoviae 22 Novembris 1670.

A.R.P. Vestrae
humillimus servus
Stanislaus a I. M. mp

[*A tergo litterarum:*]

Admodum Reverendo Patri, Patri Cosmo a I.M. Praeposito Generali Clericorum Reg. Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum multum mihi colendorum

Romam.

a-a “Cracovia 22 9bris 70” - est annotatio facta diversa manu, forse a tabulario Romano (*P. Papczyński hoc datum in fine litterarum habet*)

¹³ Cf. *Positio*, p. 209, no. 3 ad textum LCC.

5.

Oblatio

Casimiriae ad Cracoviam, 11 XII 1670 (?)

Scriptum hic intitulatum: “Oblatio” (quia ita ipse P. Papczyński id in eius textu denotavit) est primum ex eius scriptis historiam et originem Congregationis Clericorum Marianorum respicientibus, in quo P. Papczyński prima vice revelat intentionem eam fundandi et indicat clare quod ea notam specificam Marianam habebit, et hanc cum privilegio Immaculatae Conceptionis B.V. Mariae connexam.

a. **Origo.** - Scriptum hic praesentatum debet suam originem absoluteioni P. Stanisłai a J.M. Papczyński a votis et iuramento perseverantiae in Instituto Scholarum Piarum; quam absoluteionem ei P. Viceprovincialis Michael Kraus, loco Provincialis, die 11 Decembris 1669 in Residentia huius Ordinis Casimiriae ad Cracoviam impartivit¹. Nam - ut ipse P. Papczyński narrat - “mihi sub tempus absoluteionis [a votis] illa divina Maiestas suggestit, ut dum [absolvere] ab his, aliis me eodem actu libere Dei obstringerem, quod feci oblatione sinu deprompta, publiceque, licet submissiore voce facta”². Haec “oblatio” documentum hic praesentatum constituit.

Cur P. Papczyński hanc oblationem fecit, et proprie hac occasione” Iuridice seu canonice is ob dictam absoluteionem et dimissionem ab Instituto Scholarum Piarum sacerdos dioecesanus factus est. Videtur tamen quod pro eo vita religiosa ita cara erat, quod extra eam non voluit nec unam diem manere. Ad tempus non erat ei possibile vota religiosa emittere modo canonico et formali in Congregatione quam fundare proposuit. Proinde hac oblatione vitam religiosam saltem modo informali et privato continuare se obligavit, votis religiosis, etsi non canonice, denuo - quamvis solum in forma

¹ Cf. *Positio*, pp. 189-194: Doc. VI, E, *intr.*; pp. 327-328: Doc. IX, 9 (A.D. 1670), § 11.

² “Fundatio Domus Recollectionis” (*FDR*), § 3: *Positio*, p. 358: Doc. X, 5.

promissionis - se obstringendo et sic interius religiosus coram Deo manendo³ usque ad tempus quo esset ei possibile vitam religiosam in suo Instituto in forma canonica et publica resumere.

Tale significatum profundiorum “oblationis” ipse p. Kraus agnovit. Nam, uti P. Papczyński narrat, oblatione absoluta, “acclamavit Pater ille [Kraus], qui mihi Generalis nomine impertitus erat absolutionem: *Confirmet hoc Deus, quod operatus est in te*”⁴.

b. Tempus compositionis. - Sicut videri potest in fine textus *Oblationis*, ea die “2da Xbris 1670” datata est. Iam dictum est quod haec “oblatio” facta est die quo P. Papczyński a Scholis Piis dimissus est, i.e. die 11 Decembris 1670. Praesumitur ergo error in transcriptione exemplaris (quod est hodie unica fons e quo textus *Oblationis* notus est nobis). Nempe in originali scriptum est probabiliter in numeri nota arabica: “11” , sed is qui textum transcribebat istum datum legit quasi esset scriptum in numeri nota romana: “II” , et sic in exemplari scripsit “2da” loco “11ma” Decembris.

Nunc autem quaestio est: quando P. Papczyński hanc *Oblationem* composuit? Ex eius verbis supra allegatis (“sub tempus absolutionis [a votis] illa divina Maiestas suggestit, ut...”) concludi potest quod is *Oblationem* vel ipso die 11 Decembris 1670 vel parum antea conscripsit, quia verbum “sub” significat “immediate ante” vel “prope”. Forsitan eam die 10 Decembris, quo dies absolutionis stabilita est, conscripsit (excepto ultimo paragrapho: “Casimiriae [...] Xbris 1670”). Quasi certe hoc fecit post diem 1 Decembris, quando iam nota ei fuit delegatio P. Kraus ad ei absolutionem impartendam⁵.

c. Propositum fundandi “Societatem Clericorum Marianorum Immaculatae Conceptionis”. - Tale propositum P. Papczyński in *Oblatione* revelat, quando dicit: “quam [*Societatem*] condere Dei gratia volo”.

³ Hinc suam dimissionem a Scholis Piis describebat uti dispensationem solummodo “a iuramento perseverandi in Scholis Piis”; cf. *Positio*, pp. 358. 494.

⁴ *Ibid.*, § 4: *Positio*, p. 359.

⁵ Cf. *Positio*, pp. 190-193: Doc. VI, E, *intr.* 2.

Nescimus quando hanc inspirationem a Deo obtinuit. Probabiliter hanc secundam vocationem religiosam anno 1670 ei Deus dedit, quando iam decisus erat ab Instituto Scholarum Piarum discedere et responsum ad suas petitiones pro egressu ex eo expectabat⁶.

Notandum est quod *Oblatio* revelat certas notas proprias sui futuri Instituti. Est praesertim evidens quod is notam *Marianam* habebit, quia eius membra vocabuntur “Clerici Mariani” et Institutum ipsum gloriabitur titulo “Immaculae Conceptionis” B.V. Mariae.

Quod correspondet magnae devotioni Marianae Fundatoris: in *Oblatione* P. Papczyński se “B.V. Mariae Servus” vocat, affermando quod credit “Sanctissimam Dei Genitricem Mariam absque macula originali esse conceptam” et quod hoc Eius singulare privilegium paratus est propagare et defendere “etiam cum dispendio” suae vitae. Est facile in tali declaratione agnoscere sic dictum *votum sanguinis*, quod a defensoribus Immaculae Conceptionis (sic dictis “immaculistis”) iam a dimidio saeculo in praxi habitum est⁷.

d. **Textus.** - Autographum *Oblationis*, quasi certe nominis auctoris subscriptione munitum, non amplius exstat. Versus annum 1675, P. Papczyński scribendo *Fundationem Domus Recollectionis (FDR)*, textum *Oblationis* in hoc scriptum inclusit⁸.

⁶ In luce documentorum una res est certa: desiderium fundandi novum Institutum religiosum non erat causa eius egressus ex Scholis Piis, uti erronee P. Leporini versus annum 1705 in eius prima biographia asserit (v. *Positio*, pp. 639-640: Doc. XVII, §§ 31-32) et uti erronee depositum est in eius Processu Informativo annis 1767-1769 instructo (cf. *PP.*, ff. 109v-110r. 174r-v. 175v. 316v-317r. 317v-318r). Quod etiam ex eius *Apologia* patet (cf. *SH*, 6).

⁷ Cf. STRICHER Julien, *Le Voeu du Sang en faveur de l'Immaculée Conception: Histoire et Bilan Theologique d'une Controverse* (Bibliotheca Immaculae Conceptionis, 9), Romae 1959, I, 1-5. 7-18.

⁸ Cf.: *Positio*, p. 358: Doc. X, 5, § 3, in fine, ubi textus *Oblationis* immediate praeceditur verbis: “...feci oblatione [...], cuius tenor talis”. Notandum est quod in hac transcriptione nominis subscriptionem omisit. Illo tempore candidati ingrediendo Institutum a P. Papczyński fundatum similem oblationem faciebant (cf. *Positio*, p. 364: *ibid.*, § 15, ubi P. Papczyński annotat quomodo Stanislaus Krajewski oblationem anno 1673 fecit).

Quando versus annum 1705 *FDR* fuit transcripta in *Protocollum Ordinis*, textus *Oblationis* in hoc exemplari, nescitur cur, omissus est. In exemplari *Protocolli* circa annum 1744 facto ista lacuna repleta est⁹, adhibendo sine dubio textum originale *Oblationis* qui versus annum 1744 debuit esse depositus in archivo Ordinis Marianorum in Domo Corabieviensi, nam ex hoc archivo anno 1773 sumptus est Romamque mandatus¹⁰, et solummodo postea perditus est.

Textus *Oblationis* erat etiam in alio exemplari *Protocolli*, nempe in eo quod Romam versus annum 1772 mandatum est, sed quod hodie non amplius extat. In actibus Processus Beatificationis P. Stanislai Papczyński invenire possumus duo exemplaria *FDR*, sine tamen textu *Oblationis*¹¹. Quo pacto hodie textus *Oblationis* notus est nobis ex uno solo eius exemplari: Arch. priv. Muniak (Cracoviae): *Prot.*, pp. 17-18.

Oblatio prima et unica vice typis impressa est in *Positione*¹². Pro hac editione critica textus *Oblationis* sumptus est immediate e *Protocollo* (ca 1744) ope photo-exempli.

Textus in Ms. continuus divisus est hic in 5 paragraphos (uti in *Positione*, ubi tamen non est data eorum numeratio).

⁹ Iuxta exemplare textus *Oblationis* facta est ibi sequens annotatio marginalis: “ab hoc loco desit in Originali [*Protocollo*] usque ad hunc” (isti limites indicati sunt ope duabus lineis inter quas haec annotatio exstat); *Prot.*, pp. 17-18.

¹⁰ Cf. *Positio*, p. 213, no. 9.

¹¹ Cf. *ibid.*, p. 213: Doc. VI, E, 5, *intr.*

¹² Vide: *Positio*, pp. 213-214: Doc. VI, E, 5.

In Nomine Domini Nostri Iesu Christi Crucifixi Amen.

1. - Ego Stanislaus a Iesu Maria Papczyński Filius secundum carnem Thomae de Podgrodzie Diaecesis Cracoviensis, annorum quadraginta¹³, offero, ac dedico Omnipotenti Deo Patri et Filio et Spiritui Sancto, ac Deiparae semper Virgini Mariae, sine macula originali Conceptae, cor meum, animam meam, intellectum, memoriam, voluntatem, affectus, mentem totam, animum totum, sensus interiores et exteriores, et corpus meum, nihil mihi penitus relinquendo, ut sic deinceps sim totus eiusdem Omnipotentis ac B.V. Mariae Servus¹⁴.

2. - Quapropter Iisdem promitto me in finem vitae meae caste ac ferventer famulaturum in hac (quam condere Dei gratia volo) Societate¹⁵ Clericorum¹⁶ Marianorum Immaculatae Conceptionis, atque huius legibus, statutis, ac ritibus mores meos accomodaturum, neque unquam acturum, neque permissurum aut consensurum, neque indirecte quidem, ut haec aliquomodo tollantur, aut mutantur, aut dispensentur, nisi in gravi et legitima necessitate.

3. - Promitto praeterea Sanctissimo Iesu Christi Vicario eiusque delegatae potestati, ac omnibus meis mediatis et immediatis Superioribus obedientiam sano modo intellectam, et quod nihil privatim, sed omnia communia habebo¹⁷.

¹³ Cf. *Positio*, pp. 4-9: *Doc. I, intr. 1, a. 2, a-b. Revera P. Papczyński, die 18 Maii 1631 natus, tunc (11.XII.1669) annum 40-mum suae vitae adhuc non complevit.*

¹⁴ *Talis expressio habet aliquam affinitatem cum devotione Mariana inspirationem ex idea "servitutis" spiritualis erga B.V. Mariam trahente. Ista devotio ab an. 1632 dif-fundi in Polonia incoepit. Cf. Positio, p. 211, no. 2.*

¹⁵ *Solummodo in initio Institutum a P. Papczyński fundatum denotatur uti "Societas" (cf. FDR, §§ 9.14), quamvis tunc id etiam uti "Congregatio" denotatur (cf. ibid., § 1).*

¹⁶ *Ab initio ergo Congregatio Marianorum uti Institutum clericale a P. Fundatore concepta est. Attamen inter eius membra etiam "Fratres Coadiutores" quasi ab initio erant. Cf. "Norma Vitae" (NV), c. VI, 1.*

¹⁷ *Sic eius votum paupertatis religiosae (sub forma promissionis) exprimitur. Cf. NV, c. III, 2: "Paupertatis Vestrae in hoc essentia consistit, ut nullus quidquam absque Superiorum consensu privatim habere [...] audeat. [...] Omnes enim debent ex communi massa et mensa vivere".*

4. - Profiteor me credere, quidquid Sancta Romana Ecclesia credit, atque deinceps ad credendum praecipiet, maxime vero Sanctissimam Dei Genitricem Mariam absque macula originali esse conceptam profiteor, eiusque honorem etiam cum dispendio vitae meae polliceor a me propagatum ac defensum iri. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Evangelia Dei.

5. - Casimiriae ad Cracoviam in Residentia Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum¹⁸, praesentibus, Admodum Reverendo Patre Michaelae a Visitatione V[ice] Provinciali Poloniae¹⁹, Religioso Patre Iosepho a Matre Dei Praesidente dictae Residentiae²⁰, et Venerabilibus Clericis Minorum Ordinum Casimiro ab Angelis, et Bernardo a Passione Domini²¹, die 2da^a[s] Xbris 1670²².

^a *Uti iam in introductione explanatum est, videtur quod lectio in originali erat: "11".*

¹⁸ *Residentia haec anno 1664 erecta fuit.*

¹⁹ *P. Michael Kraus (†1703). Ei fuit delegata "specialis potestas super dimittendis tribus patre Stanislao [Papczyński], et fratribus Casimiro et Bernardo" (Kr., p. 322: Positio, p. 327). Cf. Positio, pp. 278-279: Doc. IX, intr. 1.*

²⁰ *P. Iosephus Warzecha, sodalis professus Scholarum Piarum ab anno 1661, fuit Praesidens huius Residentiae Casimiriae probabiliter ab anno 1668.*

²¹ *Casimirus Paszakowicz, sodalis professus Scholarum Piarum ab anno 1665, et Bernardus Krupski, - ab anno 1667, residentes anno 1670 in Residentia Scholarum Piarum Casimiriae et postea una cum P. Papczyński in residentia Episcopi Cracoviensis, quia etiam hi egressum e Scholis Piis obtinere conabantur.*

²² *Probabiliter hic ultimus paragraphus additus est ad corpus "Oblationis" iam post caeremoniam in qua haec pronuntiata est.*

6.

Apologia pro egressu e Scholis Piis

[Cracoviae? Luboczae? , 1671?]

Apologia est scriptum apologeticum a P. Stanislao a I.M. Papczyński exaratum. Dicitur quod est eius “Apologia [...] causarum externarum narrationem continens, quibus e Scholis Piis egredi coactus est”¹.

a. **Auctor.** - In quantum in hoc casu agitur de scripto autobiographico, opus est probare: 1) quod “ego” narrationis identificatur cum P. Stanislao a I.M. Papczyński; 2) quod is est auctor huius scripti. Necessitas talis probationis provenit ex facto quod nec ipse P. Stanislaus nec alia persona contemporanea asserit se esse auctorem scripti autobiographici quod identificari possit cum *Apologia*.

Utique, indubitanter in hoc scripto agitur de P. Papczyński, quia saltem in duobus casibus “ego” narrationis tradit nomen proprium, nempe dicit quod ei nomen est “Pater Stanislaus” (v. *infra*, “” 7.32) et illo tempore in Provincia Polona Scholarum Piarum P. Papczyński fuit unicus “Pater Stanislaus”. Insuper, manifestum est quod “ego” narrationis conecitur cum factis, quae varia documenta clare et inconfusibiliter referunt (in modo activo vel passivo) ad P. Stanislaum Papczyński.

Etiam sat facile est agnoscere P. Papczyński uti auctorem *Apologiae*. Uti auctor notus est nobis ex aliis scriptis et horum stilus - quamvis sint scripta diversi generis litteralis - est valde similis ad stilum *Apologiae*². Insuper quasi impossibile ad admittere falsificationem in hoc casu quia nemo alius posset conoscere et exponere tam bene, fideliter et in omni particulari eius *actiones* et *passiones* in Scholis Piis. In fine, tota traditio Instituti Marianorum vidit in P. Papczyński auctorem et primam personam *Apologiae*³.

¹ Cf. *AFP*, *Summ. Obj.* N. 3, initio (APS 9, p. 49).

² Vide, e.g., *supra*, SH, 3: *PRAb* vel *infra*, SH, 7: *FDR*.

³ Vide respectivas citationes in: *Positio*, p. 248, no. 2.

b. **Tempus et locus compositionis.** - Nescimus exactum tempus quo P. Papczyński *Apologiam* scripsit. Attamen contenta eius indicant quod hoc fecit iam post suum egressum ex Scholis Piis (11 XII 1670); non protinus tamen post egressum, quamquam modus quo eventus anteriores ad hunc egressum narrat dat impressionem, quod erant pro eo eventus potius recentes. Debuit tamen imprimis habere aliquod tempus post egressum ad audiendum “varias variorum hominum, et prudentum etiam virorum sententias” (v. *infra, intr.*) de suo egressu, Cracoviae et forsán etiam Varsaviae, et tempus ad reflexionem animi de his sententiis.

Non narrat in *Apologia* eventus posteriores ad suum egressum e Scholis Piis, sed habetur impressio quod eam scripsit iam post definitivam separationem ab hoc Instituto, et talis separatio non evenit ante responsum negativum ad eius petitionem - factam probabilmente intio anni 1671 - pro reingressu, et hoc responsum (Romae datum) non fuit ab eo acceptum - uti videtur - ante finem Iunii 1671⁴. Videtur quod illo tempore erat adhuc Cracoviae et est possibile quod tunc *Apologiam* scripsit.

Forsán tamen hoc fecit solummodo post suam translationem - probabiliter initio Septembris 1671 - ad Domum nobilis Iacobi Karski in Lubocza⁵. “Reditu ad Scholas Pias intercluso”⁶, atque causa etiam litterarum testimonialium pro eo ex Scholis Piis - probabiliter solummodo initio Septembris 1671 - “tandem transacta”⁷, forsán tunc tempus opportunum pro P. Papczyński advenit summas suarum relationum cum Piaristis in *Apologia* concipere⁸.

c. **Scopus et contenta.** - Uti ipse auctor in introductione explanat, *Apologiam* scripsit ad erroneas opiniones (videtur quod non solum inter

⁴ Cf. *Positio*, p. 219 (Doc. VII, A,2, *intr.*); p. 333 (Doc. X, 1, *intr.*)

⁵ Cf. *FDR*, § 7

⁶ *ibid.*, § 6.

⁷ *ibid.*, § 7.

⁸ Ita, plus minus, definitur tempus compositionis in Nav. (pp. 4. 147) et in *Positio* (p. 248). Nescitur cur Alegiani credebant quod *Apologia* scripta fuit “multo tempore postquam descripta acciderant” (v. *Resp. ad AFP*, 84, in: *APS* 9, p. 137).

Piaristas, sed etiam et praecipue inter personas extraneas quibus erat notus⁹) circa rationem sui egressus e Scholis Piis corrigendas. Quapropter in hoc scripto exponit quattuor Causas externas, ob quas - in quantum fuisse graves et legitimas probantur - ipse dimissionem ex hoc Instituto petivit et obtinuit¹⁰. Loquitur de sua experientia (potius dolorosa) in vita religiosa huius Instituti infra annos 1665-1670. In fine, in paragrapho conclusivo, autor facit brevem reflexionem de narratis et exprimit votum pro futuro.

d. **Fontes.** - Ob characterem autobiographicum huius scripti et ob limites temporales eius narrationis, non erat necessarium pro auctore recurrere ad aliquos fontes literarias, quia facta ex experientia personali narrat et facile erat e memoria desumere id quod accidit infra ambitum suae experientiae solummodo paucis annis antea. In duobus casibus explicite se ad memoriam appellat (v. *infra*, “” 49.53). Si aliquem auctorem eiusque sententiam memorat (sine allegatione uti tali), videtur quod etiam hoc e memoria facit (v. *infra*, “ 40). Ubi deficiunt data vel aliqua particularia nescimus si hoc debetur lapsui memoriae vel negligentiae auctoris (praeoccupati forsitan unice de suo scopo apologetico).

e. **Valor - utilitas.** - *Apologia* magnum valorem pro nobis habet in quantum docet nos multa de egressu P. Stanislai ex Instituto Scholarum Piarum, qui est elementum magni momenti in eius vita religiosa et spirituali. Notandum est quod sine hoc opusculo non haberemus completam cognitionem rationis ob quam P. Stanislaus ad decisionem petendi absolutionem a votis et a iuramento perseverantiae in Scholis Piis pervenit. Debemus huic opusculo certitudinem quod testes Processus Informativi in Causa Beatificationis P. Stanislai depositionem erroneam fecerunt affirmando - bona fide - quod is e Scholis Piis egressus est quia novum Institutum Marianum fundare volebat, et

⁹ Solummodo personae extra Institutum Scholarum Piarum potevano considerare P. Stanislauum “ob aliquam causam dimissum” (v. *intr.*), sed evidenter etiam multi Piaristi non cognoscevano veras causas sui egressus; v. no. 10.

¹⁰ Utique, diversa fuit causa officialis suae dimissionis, nempe declaratio quod vota solennia in Instituto Scholarum Piarum ad statum Ordinis redintegrato emittere noluit. Sed revera ob istas quattuor causas P. Papczyński hoc consilio iuridico usus est.

quod ob hoc desiderium odium et persecutiones ab aliis Piaristis expertus est¹¹. Scimus quod hoc non est verum, quia talem causam egressus in *Apologia* non invenimus et contra hanc evidentiam negativam pro dicta assertionem testium nullum aliud documentum vel testimonium invocari potest. Itaque verum est quod P. Papczyński Institutum Marianorum fundavit quia e Scholis Piis egressus est, non est verum autem quod is e Scholis Piis egressus est quia hoc Institutum fundare voluit.

Valor *Apologiae* etiam in eo consistit quod est unica fons pro aliquis elementis vitae P. Stanislai. E.g. solummodo e *Apologia* scimus quis fuit “auctor vocationis” eius ad Scholas Pias (v. *infra*, “ 12) et quod is fuit auctor Panegyrici anonimi pro re Michaele (v. *infra*, “” 23.53).

f. **Titulus.** - Videtur quod in autographo hoc opusculum nullum titulum habuit. Etiam quando - post mortem auctoris - fuit inscriptum in librum *Protocollis*, ubi constituit caput separatum (primum) Libri Secundi, relictum est ibi sine ullo titulo proprio¹². Attamen - quod notandum est - huic opusculo convenit titulus impositus toto Libro Secundo *Protocollis*: “Causae et motiva certa egressus Venerabilis Patris Stanislai a Iesu Maria e Scholis Piis”, et talis titulus toto huic Libro impositus est aliquid mirum, quia - uti patet etiam e brevi introductione de materia in hoc Libro contenta - hic Liber Secundus continet insuper scripta et documenta omnino diversa, quorum ultimum datatur anno 1691¹³.

Prima vice hoc opusculum titulum proprium obtinuit anno 1775 in annotatione marginali a Promotore Fidei facta: “Apologia S[ervi] D[ei], causarum externarum narrationem continens, quibus e Scholis Piis egredi coactus est” (cf. *supra*, no. 1). Stricte loquendo, titulus ipse exprimitur solis verbis: “Apologia Servi Dei”, et ita hoc opusculum invenitur intitulatum a Sydry in eius opere typis impresso anno 1937¹⁴.

¹¹ Cf. *P.P.*, ff. 109v-110r. 174r-v. 175v. 316v-317v. 317v-318r.

¹² Cf. *AAP*: APS 5, f. 56r; - *Prot.*, p. 103. Attamen ibi dicitur quid in hoc Capite continetur his verbis: “Caput Primum in quo Causae externae exprimuntur, quae Venerabilem Patrem Stanislaum a Iesu Maria e Scholis Piis protruserunt et ad petendam a simplicibus votis et iuramento perseverantiae absolutionem coegerunt”.

¹³ Cf. *Prot.*, pp. 119-139.

¹⁴ Cf. *Syd.*, p. 7, no. 5, A, b.

In 1960 hic titulus adhuc a Navikevičius abbreviatus est ad solum verbum: “Apologia”¹⁵.

Ad confusionem cum alia “Apologia” a P. Papczyński exarata evitandam, nempe cum *Apologia pro Summa Paupertate* (cf. *infra*, “ 35), Krzyzanowski annis 1963 et 1977 titulum opusculi praesentis prolongavit ad: “Apologia pro egressu ex Scholis Piis”¹⁶, et talis titulus etiam pro hac editione huius opusculi adhibetur (tamen ob rationes practicas saepe ad verbum “Apologia” abbreviatur).

g. **Textus.** - Non exstat amplius autographum *Apologiae* (anno 1730/1731 in Vistula cum aliis documentis perit¹⁷), nec suum exemplar primarium¹⁸ factum ca an. 1705 in *Protocollo* (originali) Ordinis Marianorum (“P”).

Itaque hodie cognoscimus *Apologiam* solummodo ex exemplaribus subsequentibus, ex quibus valorem documentarium habent tria exemplaria a se independentia:

1) exemplare exstans in descriptione *Protocolli* originalis facta versus an. 1744¹⁹: “A”;

2) exemplare a notario anno 1773 ex eodem libro *Protocolli* originalis exaratum²⁰: “B”;

3) exemplare factum anno 1775 a Promotore Fidei ex descriptione “Romana” *Protocolli* originalis (“R”) ²¹: “C”.

¹⁵ Cf. Nav., tav. I, n. 15.

¹⁶ Cf. Krzyz., p. 131; *Positio*, pp. 247. 578.

¹⁷ Cf. Introductio notarialis, in AAP: APS 5, f. 56r.

¹⁸ De authenticitate *Apologiae* scriptor exemplaris hoc modo testificat eius textum introducendo: “Causae... exprimuntur [...] verbis ipsiusmet praedicti Patris [Stanislai a Iesu Maria]”; v. *ibid.*.

¹⁹ Vide textum “A” in *Prot.*, pp. 103-119 (Lib. II, cap. I).

²⁰ Vide textum “B” in AAP: APS 5, ff. 56r-59r.

²¹ Vide textum “C” in AFP: Summ. Obj. N. 3 - AAP: APS 9, pp. [49]-[74].

Ex comparatione inter “A”, “B” et “C”, sicut etiam ex nostris annotationibus textualibus, patet quod datur parva diversitas textualis inter “A” et “B”, dum “C” differt aliquantum tum a “A” et a “B” (quod patet etiam ex numero diversarum lectionum quas “C” affert). Videtur itaque quod maior fidelitas textualis datur in “A” et “B” quam in “C”. Et hoc provenit probabiliter ex eo, quod - uti videtur - iam in “R” (non amplius exstante) inveniebantur numerosi errores descriptionis et textus “P” forsitan adhuc magis mutatus est a Promotore Fidei, qui probabiliter conabatur corrigere errores praesentes non solum in “R” (is queritur quod “R” est “indefinitis propemodum amanuensium forte oscitantia erroribus scatens”²²) sed etiam in ipso textu originali, quia dici potest quod p. Papczyński scribebat *Apologiam* in quodam impetu passionis non curando nimis elegantiam et integritatem linguae latinae. Ob tantas mutationes textuales “C” non potuit esse selectum pro praesentatione *Apologiae* nec in *Positione* nec in hac editione.

Mansit igitur quaestio seligendi inter “A” et “B”. Selectum est “B” praecipue ideo quod est exemplare officiale a notario factum (non obstante una sat gravi omissione ob obviam inadvertentiam)²³.

Infine notandum est quod etiam “A” et “C” sunt alicuius utilitatis pro reconstructione textus originalis *Apologiae*, ut videri potest e facto quod aliquae eorum diversae lectiones agnitae sunt uti maioris probabilitatis.

Ob earum antiquitatem cartae, super quibus “B” est scriptum, sunt modice detrimento affectae et cum carta etiam pars textus ablata est. Fortunata possibile erat reconstruere omnes lacunas ope “A” et “C” (in uncis quadratis sine indicio lectionis diversae).

Divisio textus in 54 paragraphos provenit e “C”.

Apologia prima vice typis data est a Navikevičius anno 1960²⁴. Eius autem prima editio critica facta est anno 1977 in *Positione*²⁵.

²² Cf. AFP, Summ. Obj. N. 1, n. 11, in: AAP: APS 9, p. 37.

²³ Cf. discussionem de his tribus exemplaribus in: *Positio*, pp. 250-251 (Doc. VIII, *intr.*)

²⁴ Vide Nav., *Append. I*, pp. 14*-23*. Est tamen editio sat defectiva; cf. *Positio*, p. 251.

²⁵ Vide *Positio*, pp. 247-276 (Doc. VIII).

[*APOLOGIA PRO EGRESSU E SCHOLIS PIIIS*][*Introductio*]

Quoniam varias variorum hominum, et prudentum etiam virorum sententias de mea a prima vocatione corpore excedenti audio et expendo simul utilissimum esse, ad errorem humani iudicii aut detegendum aut avertendum, ^aetsi veritas^a ipsa producat in publicum, idcirco non aviditate honoris propugnandi, quem nullum habeo, et contemno, non aliquem insectandi studio, aut infamandi, causas genuinas externas huius rei affero, sed ut quisque sciat optime, me nec animi levitate motum ex Scholis Piiis, nec ob aliquam causam ^bdimissum, sed^b gravibus rationibus permotum etiam postulasse dimissionem²⁶.

a-a 1) “*et severitas*” (B; A), quae lectio tamen non videtur concordare cum contextu ac proinde substituitur nostra lectione: “*etsi veritas*” (italice: “*se pure la verit*”), uti praesumpta lectio originalis;

2) “*et veritas*” (C), sed etiam haec lectio videtur esse defectiva, quia non concordat cum contextu: “*expendo... utilissimum esse [...] producat in publicum*” (in hac lectione deest ratio pro subiunctivo: “*producat*”)

b-b “*dimissum. Sed*” (B; A), attamen non videtur ratio talis interpunctionis, utpote datur hic narratio potius continua.

²⁶ Cf. *supra*, SH, 4.

CAUSA PRIMA: ODIUM.

1. - Communis opinio Theologorum est licere honeste et laudabiliter Religioso deserere vocationem suam, si per odium, aut persecutiones frequentissimas in ea nequeat quieto ac tranquillo animo subsistere²⁷. Me vero Superiores ipsi adeo rixabant, agitabant, lacerabant, ut cum facta aliquoties protestatione, mihi vires ad ferendam illam continuam tempestatem animumque deessse, nihil efficerem, sed magis irritarem animos iam satis ardentis, cedendum tandem pertinacissimae^a violentiae sum ratus, ne contra fluctus navigarem continuo, et ne modo ipse nunquam cupita malitia potirer, verum et alii plures mei causa, eandem semper desiderarent.

a “*pertinacissimam*” (C)

²⁷ P. Papczyński in nullo alio suo scripto indicat nomina theologorum, qui talem opinionem propugnant, vel opera ubi talis opinio exponitur. Videtur tamen quod is potuit habere prae oculis imprimis opiniones moralistarum qui de liceitate dispensationis a votis in genere tractabant. Sic secundum Suarez obligatio observandi votum tollitur vel suspenditur etiam in conditione, quae observationem voti “reddit inhumanam vel nimis duram”, quia credit quod “non solent homines, regulariter loquendo, se tam graviter obligare” (*De virtute et statu religionis, Moguntiae 1623, p. 629: t. II, tr. VI, lib. IV, c. 18-19*). Et hic legitur quod odium et persecutiones e parte Superiorum reddebant eius vitam in Scholis Piiis vere “inhumanam vel nimis duram” (saltem subjective). Ergo, applicando dictam opinionem ad casum proprium, potuit credere quod ei licitum erat “deserere vocationem suam”.

Sed etiam potuit prae oculis habere doctrinam de liceitate transgrediendi ab uno Instituto religioso ad alterum. Sic, e.g. secundum Lessius, si in uno Instituto “odia et similitates [...] vigeant”, vel si religiosus in eo sit “ipse aliis exosus”, ei licet transgredire ad alium Institutum, etiam ad unum minus rigorosum (cf. *De iustitia et iure ceterisque virtutibus cardinalibus, Antverpiae 1632, lib. II, c. 42, dub. 13, n. 102*).

Secundum Pellizzarium, licet religioso hoc facere “si in propria religione [...] odio habeatur ab aliis coreligiosis, aut indigne, ac male tractetur, si quidem nullam dedit causam, vel, si dedit, eam sustulit resipiscendo” (*Manuale Regularium, Venetiis 1647, t. I, tr. III, c. 5, n. 67*). P. Papczyński potuit hanc opinionem ad casum suum applicare, quia possumus credere quod iam tempore quo prima vice absolutionem a votis petivit, intentionem retinendi statum religiosum habuit vel abeundo ad alium Institutum vel fundando Institutum proprium. Erat certus quod “nullam dedit causam” ut “odio habeatur ab aliis coreligiosis”, ac proinde dicta opinio potuit ab eo assumi uti ratio transeundi etiam ad Institutum minus rigorosum, et a fortiori ad magis rigorosum, ut hoc evidenter esset in casu suo (cf. *infra, §§ 34-46; FDR, §§ 2. 18*). Cf. *Positio, pp. 252-253, no. 2*.

2. - Primus in me erat impetus Patris Cosmae^b[s] a Iesu Maria Praepositi Generalis²⁸, quem, ut audivi electum, subito sum vaticinatus, ab illo mihi perniciem imminere²⁹. Nec vaticinium caruit eventu. Initio quidem literis me humanissimis, et plus quam paternis sibi conciliaverat³⁰, sed postmodum incitatus a quibusdam Provinciae Polonae triariis Germanis³¹, apertum se mihi hostem professus est, meque ex Polonia Romam, quamquam hoc ipso ^amotivo, sub^a alia causa omnino venire iussit, et nisi venissem carceribus includi mandavit³², licet in suis literis me suaviter eo impelleret promissione honorum, quietis gratiae suae favorumque. Et quidem ^bad ipsum^b magis me inflammavit, quod sibi con-

b “Cosmi” (A; C)

a-a om. (C) b-b “idipsum” (C)

²⁸ P. Cosmus Chiara (1616-1681), Praepositus Generalis Scholarum Piarum (1665-1671); cf. *Positio*, p. 254, no. 3.

²⁹ Non est facile intelligere rationem huiusmodi timoris seu “vaticinii” e parte P. Stanislai; cf. *Positio*, p. 254, no. 4.

³⁰ Non exstant amplius litterae, de quibus P. Papczyński hic loquitur.

³¹ Haec “incitatio” facta est indubitanter in litteris mandatis ad P. Generalem Cosmum Chiara a P. Provinciale Venceslao Opatowski eiusque duobus Assistantibus, P. Iacobo Weczyrka et P. Michaele Kraus, versus diem 9 Augusti 1667, nam scitur quod in eis “tragica quoque cum patre Stanislao et adhaerentibus suis transactio fuit descripta”; KRAUS Michael, “Provincia Poloniae [...] Scholarum Piarum” (1642-1686), Ms., (Kr.), p. 281: A.D. 1667, §4, in: *Positio*, p. 299. Cf. *Positio*, p. 99 (Doc. V, intr. B, 2).

Nomine “Germani” appellantur hic Piaristae e Moravia, Bohemia et Silesia, e quibus anno 1664 solummodo quinque adhuc manserunt (“triarii”) in Provincia Polona Scholarum Piarum (erecta anno 1662), attamen in eorum manibus manebat adhuc quasi totum eius gubernium, quod a Piaristis Polonis non tam bene acceptum erat, praecipue - uti videtur - ob diversam formationem religiosam; cf. *Positio*, pp. 23-24 (Doc. II, intr. A, b, 3); pp. 273-274, no. 7; p. 289 (Doc. IX, 4; Kr., pp. 241-242).

³² P. Stanislaus fuit vocatus Romam a p. Generali mensibus Iulio et Septembere 1667, binis literis ad Provinciale Opatowski missis. Cf. supra, SH, 3: PRAb, § 1; etiam: *Positio*, pp. 99-100 (Doc. V, intr. B, 2). Verba “alia causa” evidenter intelligi debent eo sensu quod a P. Generali P. Stanislao delata fuit “provincia docendi nostros in Italia” (Kr., p. 287: *Positio*, p. 302), probabiliter in Studentato interprovinciali anno 1660 in Chieti fundato vel in Studio Generali Romae anno 1661 fundato (cf. *Positio*, p. 302, no. 116).

stare non viderem eum (qui ut caput eorum debuerit fuisse constantissimus), aliter enim Superioribus de me, aliter mihi scribebat³³.

3. - Ivi^c ego Romam incommodissimo anni tempore³⁴, exhaustisque multis aerumnis et periculis vitae, sola obediendi Maioribus armatus voluntate per tela^d, per^e ignes^f in Urbem illam Sanctam perrupi, subsistere coactus eram in porta, credo^g Flaminia, diuque vexatus, ac detentus, sub primam noctis umbram, ad ^h Pantaleonis³⁵, dato militi pretio sum deductus.

^c “Fui” (C) ^d *improprie teli appellatione significatur, i. a., omne, quod nocendi causa habetur (FLL)* ^e “et” (C) ^f *translate ignis vocatur res vel persona, quae calamitatem ac perniciem affert (FLL)* ^g “crede” (B; A), *sed videtur lectio erronea* ^h *add. “S.” (C)*

4. - Hic altera statio, nam repente edoctus de meo Generalis adventu, mandavit prope quadrantem me detine[ri] in ianua, consilium opinor prius cum suis Assistentibus facturus, [qua] ratione hominem nudum et miserum excipere deberet, donec ego [motu]s rei novitate, generose dixerim, me ad aliquod hospitium diversurum, nisi alia mei admissio fieret, utpote cum Generalis ipsius mandato venientis.

5. - Relata haec puto fuisse eidem; proinde benevole susceptus, summaque tandem charitate aliquot septimanis habitus³⁶, dum causas evocationis meae ex Provincia inquiri, audio me pro turbatore

³³ *Litterae, de quibus hic sermo est, non amplius exstant, ac proinde hanc assertionem auctoris verificare non possumus.*

³⁴ *P. Stanislaus iter suum Romanum Varsavia incepit in fine Octobris 1667.*

³⁵ *Intelligitur: “ad ecclesiam S. Pantaleonis”, quae anno 1614 in usum perpetuum Scholis Piiis concessa est; ad eam ab anno 1612 annexa erat Domus sodalium huius Instituti, quapropter vocata etiam Domus S. Pantaleonis. Cf. GUERRI Severino G., “San Giuseppe Calasanzio”, Roma 1987, pp. 132-134.*

³⁶ *P. Stanislaus probabiliter Romam advenit versus finem Decembris 1667; cf. Positio, pp. 102-103 (Doc. V, intr. D).*

Provinciae a Superioribus ^aeidem delatum^{a37}. Petii Tribunal, etiam Sacram Inquisitionem adire volens, ni daretur datum; dixi causam, absolutus, in Provinciam remeare sum iussus³⁸. Beatum me futurum, nisi fasciculus ex Polonia advolasset, qui omnia et me perturbavit, Generalem mihi aversum fecit³⁹, Germaniam loco Poloniae obstruit⁴⁰, et ^a nescio quae iuramenta facienda coegit, ut latius in ^b*Romano itinere*^b Deo volente patebit⁴¹.

a-a “*eiusdem delato*” (C)

a *add.* “*ad*” (C) b-b *in Ms. nullo modo indicatur uti titulus scripti*

³⁷ *Talis formalis accusatio facta est in Capitulo Provinciali; cf. infra, no. 39.*

³⁸ *P. Giovanni C. Caputi, S.P., tunc Romae residens, de negotio P. Stanislai Romae tractato haec postea scripsit: “il quale venne in Roma, e seppe tanto ben dire le sue ragioni, che fu necessitato il Generale, et Assistenti rimandarlo in Polonia per non inquietare anco la Religione [...]”; cf. Positio, p. 137 (Doc. V, 4).*

³⁹ “*Fasciculus*” sunt *Acta Capituli Provincialis Podolinii diebus 7-12 Novembris 1667 celebrati Romam mandata. In his Actibus sermo fuit i.a. “circa disturbia excitata in Domo Varsaviensi per Patrem Stanislaum a Iesu Maria, cuius rei informationem ad Patrem Generalem mittendam statuerunt PP. Capitulares”, et legitur: “Supplicandum P. Nostro Generali statuerunt PP. Capitulares, ut P. Stanislaus a Iesu Maria tamquam Congregationis nostrae in hac Provincia turbator serio per Admodum RR.PP. Generalem et Assistentes eius puniatur: [...]”. P. Stanislaus de effectu huius denuntiationis capitularis hic loquitur. Cf. Positio, p. 103 (Doc. V, intr. D); pp. 132-136 (Doc. V, 3).*

⁴⁰ *P. Stanislaus Germaniam, ad Domum Nicolsburgensem Provinciae Germaniae, probabiliter versus finem Ianuarii 1668 profectus est.*

⁴¹ *Probabiliter P. Stanislaus coactus fuit facere iuramentum se subiciendi ordinibus Provincialis Germaniae tempore suae commorationis Nicolsburgi. Sed de hoc non possumus legere in “Romano itinere”, quia non habemus ullum indicium quod P. Stanislaus propositum hic expressum in effectum deduxit et revera opusculum sic intitulatum scripsit.*

6. - Cum autem promisisset se fuisse missurum in Poloniam Visitatorem, et me reperiturum fuisse in Germania mandatum redeundi in Provinciam, idque praesente Adm. Reverendissimo Domino Ruszocki^c Canonico Cracoviensi^{d42}, neutrum implevit. Nisi enim^e Deus ipse disposuisset, ut Pater Provincialis Germaniae Carolus a Sancta Maria⁴³ mihi facultatem daret abeundi⁴⁴, ego in Polonia nunquam comparuissem⁴⁵, prout insultando aliqui dixere in absentia mea. Sed non est potentia, non est consilium contra Dominum.

^c “Rusrocki” (C) ^d “Czaroviensi” (B; A), sed erronee, nam est certum quod erat Canonicus Cracoviensis (cf. Kr., p. 313: Positio, p. 320; C).

⁴² Videtur quod Ruszocki erat unus ex patronis quos P. Stanislaus nactus est tunc Romae; cf. Kr., p. 287: Positio, p. 302 (Doc. IX, 7, § 1). Cf. Positio, p. 103 (Doc. V, intr. D); p. 256, no. 14.

⁴³ P. Carolus a S. Maria Pessau erat “Provincialis Germaniae” ab anno 1662 ad diem 20 Martii 1668. Debuit tamen manere in suo officio usque ad finem Aprilis 1668, quando probabiliter certior factus est de electione novi Provincialis, P. Pauli a S. Philippo Neri Eder. Cf. Positio, p. 256, no. 15.

⁴⁴ Probabiliter fuit facultas data in verbis, et est possibile quod erat unum ex ultimis actibus officialibus P. Caroli Pessau uti Provincialis.

⁴⁰ P. Stanislaus Germaniam, ad Domum Nicolsburgensem Provinciae Germaniae, probabiliter versus finem Ianuarii 1668 profectus est.

⁴¹ Probabiliter P. Stanislaus coactus fuit facere iuramentum se subiciendi ordinibus Provincialis Germaniae tempore suae commorationis Nicolsburgi. Sed de hoc non possumus legere in “Romano itinere”, quia non habemus ullum indicium quod P. Stanislaus propositum hic expressum in effectum deduxit et revera opusculum sic intitulatum scripsit.

⁴² Videtur quod Ruszocki erat unus ex patronis quos P. Stanislaus nactus est tunc Romae; cf. Kr., p. 287: Positio, p. 302 (Doc. IX, 7, § 1). Cf. Positio, p. 103 (Doc. V, intr. D); p. 256, no. 14.

⁴³ P. Carolus a S. Maria Pessau erat “Provincialis Germaniae” ab anno 1662 ad diem 20 Martii 1668. Debuit tamen manere in suo officio usque ad finem Aprilis 1668, quando probabiliter certior factus est de electione novi Provincialis, P. Pauli a S. Philippo Neri Eder. Cf. Positio, p. 256, no. 15.

⁴⁴ Probabiliter fuit facultas data in verbis, et est possibile quod erat unum ex ultimis actibus officialibus P. Caroli Pessau uti Provincialis.

⁴⁵ P. Stanislaus versus diem 15 Maii 1668 erat iam Cracoviae; cf. Positio, p. 256, no. 16.

7. - Quid vero ^a sibi vult, quod Provinciali Poloniae mandavit, ut me reducem incarceraret⁴⁶, factumque fuisset, nisi Deus obstitisset⁴⁷. Praeterea non leve illud quoque iaculum fuit, quod in me suis in literis ad Provinciale datis vibravit: nempe Patri Stanislao non respondeo, siquidem est Turbator, Machinator, Proditor Congregationis⁴⁸.

8. - Adde Epistolam valde calumniosam, qua^b Illustrissimo et Reverendissimo Domino Episcopo Plocensi respondens, nescio, qualem me ibi concitatorem turbarum, inita cum quatuor tantum iuven-

a *add. "illud" (C)*

b *"quae" (B; A), videtur tamen quod est simplex error (lapsus calami) in "C" correctus*

⁴⁶ *P. Cosmus Chiara tale mandatum evidenter misit P. Venceslao Opatowski, qui die 20 Martii 1668 re-electus fuit Provincialis Provinciae Poloniae Scholarum Piarum, probabiliter versus finem Martii 1668. Is P. Stanislauum incarcerare debuit in casu sui reditus in Poloniam e Germania, infligendo ei poenam quae praevidebatur pro fugitivis. Videtur ergo quod P. Generalis, contra suam promissionem, non intendebat mandare P. Stanislao facultatem "redeundi in Provinciam" (cf. supra, § 6) et non praevidebat, quod talis facultas ei erit data a P. Provinciali Germaniae. Cf. Positio, p. 256, no. 17.*

⁴⁷ *Non perventum est ad incarcerationem P. Stanislai quia P. Provincialis volebat potius cogere - in vanum - reditum eius in Germaniam et quia accusatus de illegitimitate sui officii quoddam foedus cum P. Stanislao pepigit. Cf. infra, §§ 15-18; Positio, pp. 104-106 (Doc. V, intr. E).*

⁴⁸ *Litterae, de quibus hic sermo est non amplius exstant et nescimus utrum datae fuerint ad Provinciale Germaniae vel ad Provinciale Poloniae. In primo casu P. Generalis potuit scribere de litteris in quibus P. Stanislaus ei forsitan monebat de promissa facultate abeundi e Germania in Poloniam. Sed est etiam possibile quod ita P. Generalis ad Provinciale Poloniae scripsit, nam scitur quod sine responsione manserunt tum litterae in quibus P. Stanislaus contra persecutiones et violentias e parte Superiorum subitas apud Generalem deprecabatur (cf. infra, § 33), tum litterae in quibus a P. Generali facultatem typis dandi "Oratorem Crucifixum" petebat (cf. infra, § 52).*

culis societate, circa Superiorum in Provincia electionem vocavit, amans scilicet famae filialis Parens⁴⁹.

9. - Adde et aliam Epistolam Excellentissimo et Reverendissimo Episcopo Cracoviensi missam, in qua me gravissimis calumniis insecutus est⁵⁰.

10. - Adde illusionem infamem, cum mihi binas literas cum titulo Provincialis misit, ut mihi (Deum testor me illa non laborasse) quandam ambitionem exprobraret⁵¹, cum ego publicum iuramentum, propter votum consuetum, nullam a me Praelaturam admissum iri, nisi per Spiritum Sanctum electus essem, adhibitis suffragiis secretis, emiserim⁵²; alia silentio involvo.

⁴⁹ *Non amplius exstant nec litterae ab Episcopo Plocensi, probabiliter Ioanne Gembicki (1655-1673), ad P. Cosmum Chiara missae, nec epistola qua is ad eas respondit. Ep. Gembicki probabiliter intercedebat (forse mense Aprilis 1668) apud P. Generalem pro facultate danda P. Stanislae abeundi e Germania in Poloniam. Praesumitur quod responsio erat negativa.*

P. Stanislaus iam in PRAb explanavit cur eum vocabant "concitatorem turbarum [...] circa Superiorum in Provincia electionem" (cf. supra, SH, 3, [III]), ubi etiam enumerat eos, qui cum eo in hac contentione associati erant. Revera P. Generalis non debuit eos "iuvenulos" vocare, quia illo tempore unus eorum 25 annos habuit et alii circa 30 annos habuerunt.

⁵⁰ *Agitur hic probabiliter de non amplius exstante epistola, qua P. Generalis Cosmus Chiara respondit ad litteras non amplius exstantes, quibus Ep. Andreas Trzebicki, Ordinarius Cracoviensis, vel Ep. Nicolaus Oborski, Suffraganeus Cracoviensis, apud eum contra incarcerationem P. Stanislae initio anni 1670 reclamavit. Cf. Positio, pp. 159-160 (Doc. VI, intr. B, 3).*

⁵¹ *Binae litterae, de quibus P. Stanislaus hic loquitur, non amplius exstant et P. Cosmus Chiara eas probabiliter annis 1668-1670 scripsit in Poloniamque transmisit. Videtur quod de uno casu harum litterarum P. Kraus in sua Historia loquitur, ubi mentionem facit de litteris a P. Generali probabiliter in prima parte anni 1669 missis cum inscriptione: "Patri Stanislae a Sanctissimo Sacramento provinciali Poloniae" (Kr., p. 299 : Positio, pp. 310-311). Cf. Positio, pp. 108-110 (Doc. V, intr. F, 2).*

⁵² *Cf. supra, SH, 2: "Professio votorum simplicium".*

11. - Atque ex hoc odio promanabat, ut ego, licet saepius id necessitate urgente postulaverim, non potuerim apud eum impetrare Visitatorem, qui inspiceret, et defectus quosdam Provinciamque stabiliret melius, et confirmaret⁵³. Quare debui in animum meum inducere petendi^a dimissionem⁵⁴.

12. - Ad^b Patris Generalis odium accessit immanius, quia propius^c Patris^d Provincialis. Erat is Venceslaus a SS.mo Sacramento, auctor vocationis meae⁵⁵ et simul dimissionis⁵⁶. Favebat ille mihi fateor summopere,

^a *forsitan rectius: "petere"* ^b *"At" (C)* ^c *"proprius" (A; B), erronee*

^d *"Pater" (A; B; C), sed erronee, secundum contextum praecedentem*

⁵³ Cf. *supra*, § 6; *infra*, § 45. Probabiliter P. Stanislaus Visitatorem pro Provincia Polona Scholarum Piarum ope litterarum impetrabat, sed hae litterae non amplius exstant. Exstat solummodo postscriptum ad suas litteras e die 16 Ianuarii 1666 ad Procuratorem Scholarum Piarum Romae directas, in quo legitur: "Rogo, me ut facere certiore velit, an P. Generalis Provincias visitet? et utrum venturus ad nos?" (Positio, p. 82: Doc. IV, 5). Verum est quod P. Cosmus Chiara uti Generalis obligationem sui officii quoad visitationes Provinciarum extra Italiam non adimplevit; cf. Positio, p. 82, no. 2.

⁵⁴ Cf. *infra*, § 48.

⁵⁵ Est haec unica informatio circa originem vocationis P. Stanislai ad Scholas Pias. Attamen non habemus ullam explanationem horum verborum. Venceslaus Opatowski, ab anno 1643 professus votorum solemnium in Scholis Piis, ab anno 1648 uti clericus Ordinum Minorum incepit docere Poesiam (Humaniora) in Collegio huius Instituti Podolinii et ibi Papczyński ei habuit possibilitatem saepe obviam venire uti studens Syntaxae in eodem Collegio anno 1649-50, nihil tamen notum est nobis de eorum mutua et magis personali cognitione. Forsitan Opatowski eum etiam ad Scholas Pias attraxit "ea, qua pollebat capiendi animos hominum arte" (v. SH, 3: PRAb, [II], §4). Forsitan etiam "auctor vocationis" factus est ob factum, quod arte eloquentiae excelluit, arte quae tam cara pro Papczyński erat. Cf. Positio, pp. 24-25 (Doc. II, intr. B, a).

⁵⁶ Cf. Positio, pp. 95-99. 104-106 (Doc. V, intr. A, 3. B, 1. E); pp. 151-162 (Doc. VI, B, intr.); pp. 171-173 (Doc. VI, C, 1); Kr., p. 322: "causam omnium, quae fecit, patres Venceslaum provincialem et Franciscum assistentem esse queritur" (Positio, p. 326).

ille mihi fateor summopere, quoad^a eius quasdam actiones, praesertim studium immodicum chimiae^{b57}, contemptum legum Pontificiarum⁵⁸, imperandi nimirum liberam rationem et iustis rationibus absonam^c, tum ambitionem honoris, liberius non vituperassem pro conscientia, vel^d animi libertate.

13. - Eram enim primus ex Polonis professus⁵⁹, eram in prima Domo Varsaviensi non infimus Sacerdos⁶⁰, Concionator⁶¹, sed maxime studiosus emendationis meae et alienae. Cum quibus enim aliquando

a “quo ad” (A; B; C), tamen in A et B correctum est in “quod”

b “nimiae” (C) c “obsonam” (A; B; C), lectio agnita uti erronea, quia in vocabulariis latinis talem verbum invenire non potui d “et” (C)

⁵⁷ Quod ita ab historico contemporaneo confirmatur: “... et pecuniam post patris provincialis decessum remansisse, quae omnia pater Venceslaus, nemine adhibito teste, conservavit in usum haud dubie proprium conversurus: exerceri ab eodem patre chimicen non sine magno domus sumptu, multa minus utilitate, in eam artem impendi, cum ingenti communis rei spendio” (Kr., p. 222).

⁵⁸ In tali modo generali etiam infra P. Papczyński Superiores accusat uti Pontificias leges conculcantes (cf. infra, § 36) vel res contra Pontificia Decreta fieri tolerantas (cf. infra, § 47), sed nescimus quales leges uti a P. Venceslao contemptas hic P. Papczyński prae oculis habuit. Forsitan agitur hic de sua acceptatione officii provincialatus anno 1665, quia talem electionem Romae a Definitorio Generali, et non in Provincia, credebatur a P. Papczyński “contra pontificum statuta” factam esse (Kr., p. 264; cf. infra, § 40); sed P. Venceslaus a P. Stanislao accusatus est etiam de transgressione decretorum pontificiorum quia Fra Augustinum a S. Adalberto ad Sanctum Officium non denunciavit (cf. Positio, p. 105).

⁵⁹ Talis assertio est vera si considerantur Poloni professi votorum simplicium, quae emitti incepterunt post Breve die 24 Ianuarii 1656 datum, nam P. Stanislaus talia vota die 22 Iulii 1656 emisit (cf. supra, SH, 2). Votorum solemnium autem primus ex Polonis professus fuerat P. Casimirus Bogatko († 1650), et insuper in professione P. Stanislaum etiam praecesserunt alii tres Piaristae Poloni, sed in hoc casu erat professio aggregatorum, e quibus post annum 1663 solummodo unus (P. Franciscus Haligowski) vixit; in quantum autem eius professio debuit esse anno 1657 reiterata, iuste P. Papczyński praecedentiam professionis inter Piaristas Polonos vivos reclamare potuit.

⁶⁰ In elencho “Familiae Domus Varsaviensis”, quae die 7 Decembris 1666 14 membra habuit, P. Papczyński in tertio loco ponitur; immediate post Rectorem et Vicirectorem. Cf. Positio, p. 259, no. 32.

⁶¹ P. Papczyński officio Concionatoris Varsaviae annis 1663-1667 et 1668-1669? functus est; cf. Positio, pp. 63-65 (Doc. IV, intr. B, 1, b).

levitates videbar sectari⁶², eos una mecum retrahere ad orbitam Sanctae observantiae satagebam.

14. - Quod um aegre fert^a Pater Venceslaus, iam me literis acerbis perstringere⁶³, iam Patri Generali non bene commendare⁶⁴, iam Regi Casimiro⁶⁵, Nuntio Apostolico⁶⁶ graviter accusare, et contra me nescio quem nexum instituere⁶⁷.

a “feret” (C)

15. - Ac imprimis reducem^a ex Romano itinere^a in Provinciam⁶⁸ ex eadem conabatur me omnino extrudere, quum mihi necdum monstratis patentibus sui Provincialatus, imperaret Varsaviae quiescenti ab itinere Romano, ut intra viginti quatuor horas ex ea Domo, intra totidem dies e Provincia in Germaniam repedarem. Bone Iesu [!] Germani, Moravique bonis Provinciae^b non paucis laboribus meis ornatae^c ingur-

a-a om. (C) b “Provinciam” (C) c “ornatam” (C)

⁶² *Inter posibles rationes cur post ordinationem ad subdiaconatum (an. 1656) Papczyński debuit expectare circa quattuor et medium annos ordinationem ad sacerdotium (an. 1661), proponitur in Positione etiam crisis spiritualis de qua is hic mentionem facit: forsitan ob eam Superiores cum quadam cautela admissionem eius ad sacerdotium ditulerunt. Pro tali coniectura tamen non habemus ullam confirmationem documentariam. Cf. Positio, p. 50 (Doc. III, 2, intr.).*

⁶³ *Hae litterae non amplius exstant. Ad officium Provincialis P. Venceslaus Opatowski anno 1665 electus, se Podolinium Varsavia contulit, dum P. Papczyński Varsaviae mansit.*

⁶⁴ *Scimus solummodo de litteris a p. Venceslao Opatowski anno 1667 ad P. Generalem missis, in quibus post visitationem Domus Varsaviensis P. Stanislaum “non bene commendavit”, quia in eis “tragica quoque cum patre Stanislao et adhaerentibus suis transactio fuit descripta” (Kr., p. 281: Positio, p. 299). Agitur de litteris non amplius exstantibus.*

⁶⁵ *Ioannes Casimirus, Rex Poloniae (1648-1668).*

⁶⁶ *Galeazzo Marescotti, Nuntius Apostolicus in Polonia (1668-1670).*

⁶⁷ *Evidenter P. Venceslaus tales accusationes fecit in responsione ad interpellationes Regis et Nuntii, ad quos P. Papczyński cum sociis pro adiutorio contra Superiores recurrit; cf. Positio, pp. 105. 118. 142. 306.*

⁶⁸ *Agitur de “Romano itinere” a P. Papczyński annis 1667-1668 factio; cf. supra, §§ 3-6; Positio, pp. 102-103 (Doc. V, intr. D). Is in Provinciam Poloniae mense Maii 1668 rediit; cf. ibid., p. 104 (intr. E).*

gitabantur⁶⁹; et ego filius eiusdem, sanguineis prope sudoribus ob eius charitatem continuo madens⁷⁰, in exilium emandabar⁷¹.

16. - Iturus tamen eram pacis amore, et manda[ti] reverentia licet illegitimi Superioris⁷², nisi me cara pectora Sacerdo[tum] Polonorum Domus Varsaviensis, una exire parantium vi prope reti[nui]ssent. Mansi igitur Varsaviae prostrata oppugnatione mei, etia[m] in lectum.

17. - Quum enim Venceslaus videret me suis impetibus defe[n]di⁷³, furore amentiaque correptus (nisi amor mei erga eum aliud suadeat[]) subitaneo morbo prostratus est, cuius me causam^a esse dictitabat, ego vero illius ambitionem quam detestatus illum morbum ei praedixeram, ut testari potest aliquis in cuius praesentia dixi, quae facta sunt, Sacerdotum Polonorum.

a “causa” (C)

⁶⁹ Evidenter in hoc sensu quod “Germanicae nationis patres” Provinciae Poloniae Scholarum Piarum qui illo tempore hanc Provinciam gubernabant aliqua privilegia et lucra personalia ex hoc trahebant. Cf. Positio, pp. 23-24 (Doc. II, intr. A, b, 3).

⁷⁰ P. Papczyński mentionem hic facit de multiplicibus muneribus et officiis quibus in sua Provincia annis 1658-1670 functus est: in campo scholastico (Magister Rhetoricae; “Nostrorum Magister”), pastoralis (Concionator; Confessarius; Promotor Confraternitatis B.V.M. Gratiarum), gubernativo (Rector ad tempus; Praefectus Scholarum) et pro Causa Beatificationis Servi Dei Iosephi Calasantii, Fundatoris Scholarum Piarum. Cf. Positio, pp. 57-85 (Doc. IV).

⁷¹ Cf. Kr., p. 290, in: Positio, p. 305 (Doc. IX, 7, §4); Positio, p. 105 (Doc. V, intr. E). Secundum Kraus P. Papczyński iussus est abire “ex provincia intra tot dies, intra quot venit Cracovia”; cf. Kr., p. 290 (Positio, p. 305, no. 128).

⁷² P. Papczyński P. Venceslaum Opatowski “illegitimum Provinciale” considerabat, quia decretorum pontificiorum transgressione in casu Fra Augustini a S. Adalberti “crimen” commisit “propter quod non potest esse Provincialis” (Kr., p. 290); cf. Positio, pp. 104-105 (Doc. V, intr. E).

⁷³ Talis defensio facta est a quasi omnibus membris Domus Varsaviensis; cf. Kr., p. 290 (Positio, p. 305). Cf. supra, § 16.

18. - Dissipavit postea faventes mihi Sacerdotes, disposuitque per domos varias⁷⁴, ut me solum relictum facilius, vel per se, vel per alium oppugnaret.

Sed minora ista; illud gravissimum, quod cum pepigisset faedus^b mecum ea conditione, ut eum acceptarem pro Provinciali, tametsi nossem illum illegitimum, non moturus me Varsavia^c, et redditurus^d illegitimitatis^e suae^f rationem⁷⁵, postea tamen etiam infirmum cum lecto voluit efferri domo, et clausum in curru evehi, ut lateret eius nequitia in me numero^{g76}.

b *om.* (C) c “Varsaviae” (C)

d “rediturus” (A; B) e “illegimitatis” (A; B)

f “suam” (C) g “numerus” (C)

19. - Tandem Cracoviam specie libri recudendi amotum⁷⁷, cum iam esset Congregatio in Religionem conversa⁷⁸, et ego me iurisdictioni

⁷⁴ De hac dispersione “factionis Stanislavianae” scribit Kraus; cf. Kr., p. 293 (Positio, p. 310: Doc. IX, 7, § 5).

⁷⁵ Quia P. Provincialis concordiam cum P. Stanislaio invit non consulto prius Nuntio Apostolico, qui Patri Stanislaio diem 17 Iunii praescripserat, quo abiret ex Provincia, Nuntii offensionem incurrit; cf. Kr., p. 292 (Positio, pp. 308-309).

⁷⁶ Nescimus cur Opatowski sic contra dictum foedus egit et cur eius conatus removendi P. Stanislaus e Domo Varsaviensi, uti videtur, fefellit.

⁷⁷ P. Papczyński Varsavia Cracoviam versus medietatem Septembris 1669 profectus est. Verum est quod is ipse tale iter Cracovianum tunc facere probabiliter voluit, et hoc ob duplicem rationem: quia coronationi neo-electi regis Michaelis (Cracoviae die 29 Septembris 1669) adesse voluit et ut posset curare quartam editionem sui operis “Prodromus Reginae Artium”. Attamen videtur quod Superiores (Provincialis Opatowski et Rector Haligowski) hanc occasionem nacti sunt ad eum e Domo Varsaviensi amovendum. Itaque solummodo post suum adventum Cracoviam certior factus est a P. Provinciali quod non licet ei Varsaviam reverti. Ad Domum Ressoviensem destinatus, permissum obtinuit in Residentia Casimiriensi ad Cracoviam ad tempus degere ad dictam editionem sui libri procurandam. Cf. Kr., p. 300 : Positio, p. 312 (Doc. IX, 8, § 3). Cf. Positio, p. 147 (Doc. VI, A, intr., 2).

⁷⁸ Clemens IX ope Brevis “Ex iniuncto Nobis” die 23 Octobris 1669 dati Institutum Scholarum Piarum ad statum regularem Ordinis (Religionis) restituit, in quo praescripta fuit professio votorum solemnium. Cf. BullRom 17 (1882), 827a-830b.

Illustrissimi et Reverendissimi loci Ordinarii propterea submissem⁷⁹, quod non viderem me posse in Religione subsistere quietum, descendit ille Podolinio Cracoviam, et crudelissime, ope duorum Ruthenorum secum adductorum raptatum, licet ire vellem pedester^a, curru tecto desuper inclusit, inclusumque et seminudum intensissima hieme, per viginti circiter leucas⁸⁰ [vexit]^b et in via demisso et impacto cervici meae^c temone [traharum]^d prope occidit. Podolinii quoque aegrum detinuit in cubiculo clauso, petenti Sacramentum extremae unctionis dari vetuit; et neminem accedere iussit, fere iam ad moribundum. Literas quoque me non permisit scribere Generali et Protectori⁸¹, tantaque violentia oppressit, quantam^e vix advertere est inter Tyrannos⁸².

20. - Demum postulatus ab Illustrissimo Episcopo Cracoviensi meo Diaecesano et Patrono, ut me Cracoviam reduceret⁸³, potius in Hungariam devehi iterum stipatum duobus militibus curavit, atque ibi clausum teneri⁸⁴, donec fuissem literis Patris Generalis eliberatus, me iam ex

^a “pedestre” (C) ^b om. (A; B), sed desumitur ex “C”, quia contextus tale verbum exigit ^c om. (C) ^d om. (A; B), et “harum” (C) probabiliter in originali erat “traharum” (uti in Kr., p. 314: Positio, p. 320) ^e “quanta” (C)

⁷⁹ P. Papczyński se iurisdictioni Ordinarii Cracoviensis submitit versus finem Decembris 1669; cf. Positio, pp. 151-153 (Doc. VI, B, intr. 1).

⁸⁰ Id est circa 106 km.

⁸¹ Agitur hic de Card. M. Ginetti, Protectore Ordinis Scholarum Piarum.

⁸² Vide discussionem horum eventuum in: Positio, pp. 154-156 (Doc. VI, B, intr. 2).

⁸³ Ep. Andreas Trzebicki, Ordinarius Cracoviensis, “arbitratus auctoritatem suam laesam”, litteras ad Provinciale Opatowski die 16 Ianuarii 1670 scripsit “vindicans innocentem Patrem Stanislaum”. Cf. Kr., p. 312: Positio, p. 318 et ibi no. 185.

⁸⁴ Cf. infra, § 27. P. Provincialis Opatowski P. Stanislaum “maioris securitatis gratia [i.e. extra spatium iurisdictionis Ordinarii Cracoviensis] Podolinio misit Privigiam” (Kr., p. 312), distantem ca 180 km a Podoliniec. P. Papczyński in carcere domestico Domus Prividiensis clausus tenebatur a die 28 Ianuarii ad diem 22 Martii 1670. Cf. Positio, pp. 159 (Doc. VI, B, intr. 3). 179-180 (Doc. VI, C, 3, n. 3).

Congregatione dimittere volentis⁸⁵, mandavit. Incusavit me denique per domos universas, ut et apud aliquos mihi faventes Provinciae Patres immane conflaret odium.

21. - Tandem et ad Rectorem Varsaviensem Patrem Franciscum venio mihi infensissimum ante alios et totius tragediae authorem⁸⁶. Hic bonus Pater, vi Rector impositus Varsaviensibus⁸⁷, initio videbatur me amare⁸⁸, sed ubi suis contrarium inventis reperit⁸⁹, graviter coepit odisse. Ergo me ad consilia non admittere⁹⁰, deceptionibus supplantare, sacerdoti, cuius nomini parco, qui mihi post dura verba voluit alapam

⁸⁵ *P. Papczyński primam petitionem pro dimissione ex Instituto Scholarum Piarum ad P. Generalem misit versus diem 15 Augusti 1669, secundam autem probabiliter versus diem 15 Octobris 1669, et est possibile quod P. Chiara ad hanc ei respondit versus medietatem Novembris 1669 declarando suam voluntatem concedendi ei dimissionem, sed etiam informando de exito negativo obtinendi pro ea facultatem a Sancta Sede. Cf. Positio, pp. 145-148 (Doc. VI, A, intr. 1-2).*

⁸⁶ *P. Franciscus Haligowski a Iesu Maria, sodalis Polonus Provinciae Polonae Scholarum Piarum, fuit prima vice Superior P. Stanislai uti Vice-Rector Domus Varsaviensis a mese Martii ad mesem Iulium 1665, sed non habemus notitias de eorum relationibus illo tempore. P. Papczyński eum iterum uti Superiorem habuit annis 1668-1669, quia P. Haligowski ab aestate an. 1668 officio Rectoris Domus Varsaviensis functus est. Videtur quod tunc eorum relationes ita in peius mutaverunt, quod P. Papczyński eum uti "authorem tragediae" sui egressus ex Scholis Piis agnoscere debuit. Anno 1696 P. Foci, S.P., Praepositus Generalis uti audita a P. Stanislao annotavit: "sui egressus a Religione causam vertit in P. Franciscum a Iesu Maria" ; v. Positio, p. 244 (Doc. VII, B, 3, a). Cf. etiam: Kr., p. 322 (Positio, p. 326).*

⁸⁷ *Talis affirmatio intelligi debet probabiliter in hoc sensu quod electio Patris Haligowski ad officium Rectoris Domus Varsaviensis (15 Maii 1668) membris huius Domus non placuit (forsitan ob aliquam experientiam dolorosam e tempore quando is ibi officio Vice-Rectoris anno 1665 per ca quattuor menses functus est). Cf. Positio, p. 262, no. 57.*

⁸⁸ *Agitur probabiliter de anno 1668: hoc anno (die 26 Maii) P. Stanislaus ad Domum Varsaviensem (ex itinere Romano et ex exilio Nicolsburgensi) reversus est, dum P. Haligowski die 2 Iunii Varsaviam uti novus Rector advenit.*

⁸⁹ *Cf. infra, §§ 22.47..*

⁹⁰ *Evidenter agitur hic de usu adunandi a Rectore pro arbitrio sacerdotes locales ad aliquas questiones domesticas maioris momenti discutiendas. Cf. Positio, p. 262, no. 60*

impingere, adeo favere^a, ut etiam licet ordine ultimum, et iacentem ad suas confessiones, dicam an factiones, adlegerit^{b91}. Multum enim temporis uterque^c invicem sibi confitens insumebat, ut etiam hoc caeteri advertentes palam reprehenderint.

22. - Accidit vero ut contra Statuta nostra iuvenem quendam intra domum admitteret⁹², cui ego admissioni instructus optimo zelo contradicebam, et quia videbam pertinacem oppugnatorem Statutorum, etiam verbis acrioribus, uti prior Sacerdos Domus eius detestari incoepi factum nemini approbandum, quemadmodum paulo post patuit ex literis inhibitoriis convictorum Patris ipsius Generalis ad instantiam meam emanatis⁹³. Quam detestationem meam et zelum tam iniquo animo et furenti accepit, ut me violenta manu e cubiculo eiecerit.

a “favente” (C) b “adlegeretur” (C) c “iterque” (C)

⁹¹ Non possumus identificare hunc sacerdotem, quia non exstant nunc elenchi membrorum Domus Varsaviensis ex annis 1667-1669.

⁹² Forsitan P. Papczyński hic prae oculis habuit decretum Capituli Gen. 1637, quo prohibita fuit residentia in Domibus Scholarum Piarum omnium saecularium; cf. [Statuta Ordinis Scholarum Piarum], p. 149, n. 4; p. [154], n. 10. Anno autem 1661 Congregatio Generalis prohibuit in modo absoluto convictum iuvenum saecularium in Domo Varsaviensi; cf. Positio, pp. 110-11 (Doc. V, intr. F, 3) et no. 4 in p. 111.

⁹³ Hodie non exstant amplius nec litterae dictae “instantiae” P. Stanislai apud P. Generalem, nec dictae huius “Litterae inhibitoriae convictorum”. Forsitan tamen ob hanc inhibitionem P. Provincialis Opatowski in fine visitationis Domus Podoliniensis an. 1669 haec decrevit: “Nulla ratione acceptentur Convictores sine licentia Patris Generalis”; cf. Positio, p. 111, no. 6.

23. - Nihil moror alia; illud grave nimirum et faedum^a, quod Panegyricum a me Serenissimo Regi Michaeli statim post electionem conscriptum ^b[cum ipsius mandato]^b, et typis cum debita censura mandatum exurere voluerit, ea causa, qua^c noluerit nomen meum a Rege legi⁹⁴.

24. - Ad haec conficto sibi negotio, Domum Cracoviensem, Podoli[ni]ensem, et Resoviensem visitandi, ubi^d me incusabat, animos avertendo bene mihi volentium⁹⁵; quae res, non ideo me permovit, quod infamaret^e, licet bonae famae iuxta monitum Apostoli tenacissimus⁹⁶, at^f quod ille bonus Pater peccando, saepius contra charitatem tam obcaecatus esset, ut nunquam me persequi destiterit^g, donec e Domo Varsaviensi penitus eiecerit⁹⁷.

25. - Praeterea horrendam sollicitationem eorum, qui meas partes tuebantur, et [c]apti restitutionem rogabant⁹⁸, ut non solum a me recederent, sed [co]ndemnarent vias, quae mei causa fecere impulsu charitate.

^a “faedis” (C)

^b om. (A; B), evidenter ob inadvertentiam; verba desumpta sunt e “C”. ^c “quia”

(C) ^d “ubique” (C) ^e “infamarer” (C) ^f “ad” (A; B), correctum e “C”

^g “desisterit” (A;B), correctum e “C”

⁹⁴ Cf. infra, § 53.

⁹⁵ P. Franciscus Haligowski hoc iter fecit in secunda parte Ianuarii et in prima parte Februarii an. 1669. Cf. Kr., p. 296 (A.D. 1669, § 1).

⁹⁶ Tale “monitum” S. Pauli Apostoli invenitur in verbis: “providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus” (Rom 12, 17) vel: “...quaecumque bonae famae, [...] haec cogitate” (Phil 4, 8). Cf. TDM, c. XVIII (pp. 141-142).

⁹⁷ Cf. supra, § 19: “specie libri recudendi amotum”. Ibid. no. 77. Cf. Positio, p. 147 (Doc. VI, A, intr. 2).

⁹⁸ Probabiliter agitur de iis, qui protestabantur contra incarcerationem P. Stanislai a P. Provinciali initio anni 1670. Cf. supra, §§ 19-20; infra, §§ 26-27.

[O] quam res faeda est, et prope diabolica ad charitatis damnati[o]nem aliquem^a adigere! Cogitet quis, an in eo pectore scintilla fuit charitatis, qui eam sic exosam in aliis habebat, qui nollet aliter cum iis in gratiam redire, nisi omnibus donis me seque simul prius decreverint^b.

26. - Non memoro calumnias, quibus me iam Cracovia abductum, et profiteri nolentem solemniter⁹⁹, etiam coram illis Religiosis viris, quorum consiliis nitebar¹⁰⁰, obruebat, dico non obumbrabat.

27. - Praeterea literas infamissimas Patri Paulo Rectori Prividiensi¹⁰¹, in cuius eram Aresto[s]^c scriptas, in quibus eum rogat post obiecta mihi falsissime crimina, ne, etiamsi vellem, me ad profitendum admitteret. Quamquam homo versutissimus et subdolos, aliud opinor virus tegebat illa sub furia: volebat nempe testari, quod non modo non cogeret^d, etsi cogebat, ad emissionem votorum solemnium¹⁰², sed etiam prohiberet aditum^e Religionis, uti nefarius, aut certe suspicans fore, ut ei contrairem, et ita profiterer, eo astu me volebat supplantare. Quidquid denique illa sua volebat efficere Epistola, profecto fuit nefarium, sive me illa a professione avellere, sive ad eam impellere moliebatur¹⁰³.

a “aliqua” (C) b “decreverunt” (C) c novum verbum in Latinum inductum (ex Polonico “areszt” - carcer) d “cogere” (C) e “aditus” (C)

⁹⁹ In tertia petitione pro dimissione ex Instituto Scholarum Piarum P. Papczyński scripsit (20 Decembris 1669 ?) quod non volebat facere professionem votorum solemnium; cf. Positio, pp. 148. 150. 186, § 2.

¹⁰⁰ P. Papczyński nitebatur consiliis praesertim Patrum Societatis Iesu, Dominicanorum et Carmelitarum discalceatorum. Erant etiam alii “Religiosi... viri, cum quibus consilium [de suo proposito se submittendi iurisdictioni Ordinarii loci] communicavit...”. Cf. Kr., p. 310-311: Positio, p. 316.

¹⁰¹ P. Paulus Frankovič a Nativitate BVM, Rector Domus Prividiensis (1666-1671); cf. Positio, p. 160, no. 7.

¹⁰² Cf. Kr., p. 308 (A.D. 1670, § 1), ubi scriptum est de festinatione, cum qua P. Franciscus a Iesu Maria, Rector Varsaviae, et omnes sodales huius Domus vota solennia nuncuparunt. “Festinatio ista - Kraus affirmat - hanc demum (etsi immerito) retulit calumniam, quod coegisset suos ad solennem professionem, spargente sic patre Stanislao” (Positio, p. 314). Ad quod tamen nullam confirmationem habemus.

¹⁰³ Hodie non exstat amplius “Epistola” de qua hic sermo est. Vide commentum ad hunc eventum in: Positio, p. 160 (Doc. VI, B, intr. 3).

28. - Quodquod admirabili plane et prope stygio ^amodo, sive^a dolo circa Visitatorem in Provinciam inducendum egit mecum! Nam cum venisset cum primo Assistente Patre Adalberto a Sancta Theresia Cracoviam conciliaturus Provinciali Excellentissimum ac Reverendissimum Dominum Dominum Episcopum^a, et ^bde meae captivationis causa informaturus^b, cum ego recusarem quidquam aggredi, donec Visitator Generalis mihi promissus advenerit^c, aperte est protestatus, Visitatorem nullum venturum in Provinciam, sed se cum plenaria potestate venisse meae et aliorum Sociorum meorum causae definiendae.

29. - Consensi itaque, et perrexi qua^d trahebar, etsi non invitus, sapientissimos et summae virtutis et autoritatis viros ad me audiendum ab Excellentissimo Praesule, singulari meo Protectore et Patrono deputatos^e nactus. Quid ergo actum est” quod scelus, ob quod plus quam tyrannice eram raptatus productum” Immo ne quidem culpa ulla. Unicam tantum epistolam aperuit Franciscus, et adhuc integram noluit legere, nisi a me fuisset rogatus, plenam fateor zelo, qui decebat Servum Dei^f, et se, et alios ad orbitam Regularem^g pollentem reducere. Praeterea ne hilum. Ego vero postquam reduxi mea vota simplicia ^h brevi Alexandri Septimi primo¹⁰⁴, cuiusⁱ vigore illa^j emiseram^{k105}, non subsistente¹⁰⁶ liberum me a iurisdictione Regularium Superiorum,

a-a om. (C)

a “Episcopo” (C) b-b “meae captivationis causas allaturus” (C)

c “adveniret” (C) d “quo” (C) e “deputatus” (C) f “Domini” (C)

g “Regularum” (C) h add. “non subsistente” (A;B;C) verba hic omiſſa uti superflua (repetuntur in proximo versu relate ad idem obiectum: “brevis”) i “eius” (A; B) correctum e “C” j “prima” (A; B) correctum e “C” k “emisirim” (C)

¹⁰⁴ Breve “Dudum felix recordationis” die 24 Ianuarii 1656 datum, vi cuius concessum est emittere vota simplicia in Instituto Scholarum Piarum. Vocatur “primum” (cf. etiam supra, SH, 3: PRAb, § 2), quia Alexander VII die 4 Aprilis 1656 Scholis Piiis dedit breve alterum, nempe “Ex Romani Pontificis”.

¹⁰⁵ Cf. supra, SH, 2: “Professio votorum simplicium” (22 VII 1656).

¹⁰⁶ Quia validitatem amisit ob breve “Ex iniuncto Nobis” die 23 Octobris 1669 datum, quod Scholis Piiis vota solemniter restituit.

uti in saeculari Congregatione iam sublata, sive in Regularem votorum solemnium conversa professum demonstravi¹⁰⁷, Patremque Provinciam crudeliter in me fuisse ex odio solo ficte iure praetenso debacchatum evici^a.

30. - Ne tamen Reverendissimi Deputati viderentur aliquid agere contra Decreta Apostolica, concluderunt, ut tota res ad Sacram Congregationem devolveretur, Patre interim Francisco nomine Provincialis et totius Provinciae tacto pectore promittente, nihil contra me et socios ab eorum parte attentandum^b, donec favorem Sanctae Congregationis obtinuisset¹⁰⁸.

31. - Videat vero orbis fidem hominis Religiosi Sacerdotis, Rectoris primae Domus, Assistentis Provinciae¹⁰⁹, fidem, inquam, non mihi sed Episcopo, toto Orbe illustri datam! Necdum Cracovia discessit, et eni inivit Casimiriam Pater Carolus a Sancta Maria cum potestat[e] Visitoris¹¹⁰, et ita se in^c causam ad altius subsellium delatam insinuat, ut etiam priusquam audiret me, iam damnare in mensa cuiusdam praeclari viri¹¹¹. Provinciam vero circumrogatus[s] in singulis domibus in me facere inquisitionem; cum ego toto sexennio in Domo Varsaviensi

a “devici” (A; B) correctum e “C”

b “attendendum” (B; C) correctum e “A” c “ad” (A; B) correctum e “C”

¹⁰⁷ Cf. *Positio*, pp. 151-153 (Doc. VI, B, intr. 1).

¹⁰⁸ Ita initio Iunii 1670 conclusa fuit iam quarta et ultima sessio in processu adversum Superiores Scholarum Piarum in Polonia coram iudicio dioecetano Cracoviae; cf. *Positio*, pp. 170-171 (Doc. VI, C, intr. 4).

¹⁰⁹ Sermo est de P. Francisco a Iesu Maria Haligowski, qui erat professus Scholarum Piarum ab an. 1653/1657, sacerdos ab an. 1657, Rector Domus Varsaviensis et Assistentis Provincialis (1668-1671). Cf. *Positio*, p. 261, no. 56; p. 265, no. 77.

¹¹⁰ P. Carolus Pessau a S. Maria, ex-Provincialis Germaniae (1662-1668), Rector Domus Hornanae (ab an. 1668), Visitor per Provincia Poloniae die 22 Februarii 1670 nominatus, e Germania Casimiriam advenit probabiliter ca diem 10 Iunii 1670. Cf. *Positio*, pp. 162-163. 181 (Doc. VI, B, 1; D, intr. 1).

¹¹¹ Nescimus quis fuit is “vir praeclarus”.

degerem¹¹², Podolinii ante decennium non essem¹¹³, Resoviae ante sexennium¹¹⁴, Chelmae nunquam.

32. - In singulis ille tamen Domibus Provinciali duce, Processus instituebat in mores meos, quasi^a Podolinienses^b aut alii nossent, quomodo se Stanislaus Varsaviae gereret, cum id^c res constitutionibus Piarum Scholarum cauta^d est, ne sint curiosi, quid audire quid in aliis Domibus agatur¹¹⁵. Et ego quidem libenti animo singulas Domos cum Visitatore circumissem, ut quid in iis esset corrigendum monstrarem, sed is eius fuit erga me an[i]mus, ut me Casimiriae Varsaviam proficiscens tribus verbis [fue]rit allocutus, pollicitus mihi servire.

33. - Praeclare sane serviv[it,] cum mihi ternam citationem calumniarum refertissimam dedit, Cracovia^e me Podolinium, quo facilius opprimeret alienando^f; ivissem tamen, nisi Excellentissimus Princeps Episcopus Dominus meus¹¹⁶ illusum esse authoritati suae ab Assistentibus Provinciae aegre ferens, datamque fidem¹¹⁷ frangi^g

a “quod si” (B) correctum e “A” et “C”

b “Podolienses” (A; B) correctum e “C”

c correct. in “haec” (B), non recte tamen

d “cautum” (C) e “Cracoviam” (C)

f “eliciendo” (C)

g “fragi” (A; B) correctum e “C”

¹¹² Agitur hic de sua mansione Varsaviae a ca medietate Maii 1663 ad ca medietatem Septembris 1669.

¹¹³ P. Papczyński ultima vice Podolinii degebat annis 1658-1660.

¹¹⁴ P. Papczyński ultima vice Resoviae degebat annis 1660-1663.

¹¹⁵ Cf. Const.S.P., P. II, c. VII, n. III. Cf. Positio, pp. 181-182 (Doc. VI, D, intr. 1). De hac visitatione cf. Positio, pp. 181-182 (Doc. VI, D, intr. 1).

¹¹⁶ Ordinarius Cracoviensis, Ep. Andreas Trzebicki (1658 - † 1679).

¹¹⁷ Cf. supra, § 30. Vide Positio, pp. 170-171 (Doc. VI, C, intr. 4).

obstupescens vetuisset, ne ab eius protectione me amoverem^a, quousque Sacra Congregatio pro nobis decidisset¹¹⁸, uti factum est. Namque non tam ad nostram, quam ad plurium Italarum petitionem, Breve Apostolicum die 18. Octobris emanavit, ut ii, qui solemnia vota emittere nolunt, liberi denunciarentur a simplicibus, et iuramento in Congregatione perseverantiae facto¹¹⁹. Quod mihi vigore huius Brevis^b iam praestitum est¹²⁰.

Expositis ergo licet non omnibus odiis, et persecutionibus meis leviter inductis, quas etiam ipsa Christi Domini doctrina quandoque iubet vitare¹²¹, et quarum ego violentiarum per biennium deprecabar apud Generalem¹²², ad alia veniamus.

a “amoveri” (C)

b “Brevi” (A; B; C), sed videtur esse error, quia secundum contextum debet esse casus genitivus ab verbo: “breve,- is”, in concordantia cum “huius”. Et verbum “Brevi”, utpote initiatum cum maiusculo “B”, indicat quod in hoc casu non significat: “mox”. Insuper verbum “huius” nimis distans est a verbis “Breve Apostolicum” ut ad ea referri possit.

¹¹⁸ Cf. supra, § 30. Cf. Positio, p. 171 (Doc. VI, C, intr. 4).

¹¹⁹ Breve “Cum felicitis recordationis” a Clemente X die 18 Octobris 1670 datum; v. BullRom (1882) 132a-133b. Cf. Positio, pp. 201-202 (Doc. VI, E, 2, intr.).

¹²⁰ Dimissio ab Instituto Scholarum Piarum et absolutio a votis simplicibus et iuramento perseverantiae in eo, praestitae sunt Patri Stanislaw Papczyński a P. Cosmo Chiara, Praeposito Generali in litteris ad Ep. Andream Trzebicki directis e die 24 Octobris 1670 et per harum executionem die 11 Decembris 1670 in Residentia Scholarum Piarum Casimiriae ad Cracoviam. Cf. Positio, pp. 190-194 (Doc. VI, E, intr. 2); pp. 201-204 (Doc. VI, E, 2).

¹²¹ Cf. Mt 10, 23 ?

¹²² “Per biennium” intelligendum est evidenter: ab aestate anni 1668 ad aetatem anni 1670; cf. Positio, pp. 104-117 (Doc. V, intr. E-F). pp. 144-188 (Doc. VI, A-D). Litterae dictae “deprecationis” non amplius exstant.

**CAUSA SECUNDA:
VETERIS OBSERVANTIAE RELAXATIO**

34. - Vetant quoque Theologi subsistentiam in Religione relaxari caepta, si adsit periculum salutis, permittuntque egressum¹²³. Ego vero minime generali observationi Piarum Scholarum detrahere volens, ea tantum, quae mihi, quaeve aliis perniciem afferebant^a, modeste, et leviter attingo, non Religionem incusans, at quosdam propensos ad laxiora sive Superiores, sive inferiores.

35. - Ac primo in materia summae paupertatis quantum distare^b Scholae Piae^c, norunt ii, qui eam^d hanc in Provinciam venientes^e contemplati sunt, et qui meam legent *Apologiam pro summa paupertate*, dum adhuc cum^f eis manerem conscriptam¹²⁴.

a “afferebat”(C) b “deficere”(C)

c add. “incaeperunt”(C) d “ea”(A); “eas”(C)

e add. “primo”(C) f “in”(C)

¹²³ *In casibus dispensationis a votis in genere et a voto religionis, uti etiam licentiae transeundi ad alium Institutum, specialiter ad unum minus rigorosum, observantiae relaxatio consideratur a moralistis illius temporis uti causa sufficiens ad obtinendam dispensationem vel licentiam a votis religiosis. Proinde facile intelligi potest quomodo P. Papczyński potuit applicare per analogiam solutionem per casum proprium, utpote fundatum super eadem concretam et specificam circumstantiam.*

De modo quo moralistae Suarez, Laymann et Caramuel in suis operibus hanc quaestionem tractaverunt cf. Positio, p. 267, no. 1.

¹²⁴ *Hoc opusculum non amplius exstat, et nescimus quid in eo P. Papczyński scripsit. Licet tamen credere quod in hac Apologia is argumenta proposuit pro reditu ad praxim summae paupertatis, ad quam ante annum 1656 in Scholis Piis vi legis earum membra obligabantur (quam proinde P. Papczyński in novitiatu annis 1654-1656 didicit). Hoc anno 1656 enim praxis paupertatis religiosae vi Brevis Dudum felicitis recordationis fuit ita attenuata, quod paupertas Piarum Scholarum non amplius summa appellari potuit (cf. Const. S.P., P. I, c. III, n. IV, no. 35).*

Scholarum namque Piarum paupertas aequè stricta est, atque Capucino-
rum^a, excepto eo, quod pro anno victualia comparari possint¹²⁵. At
certe nulla bona stabilia admittere licet Scholis Piis, neque titulo
haereditario, neque titulo donationis¹²⁶, immo nec Census annuos
admittere poterant¹²⁷. Si non Alexander Septimus id permisisset,

a “Capuccinorum” (C)

¹²⁵ *Difficile est hanc assertionem verificare. Nullum dubium est quod “la somma povert era la forma che il Calasanzio voleva dare alla sua Congregazione, era la caratteristica che le voleva imprimere” (GIORDANO Fr., “Il Calasanzio e l’origine della scuola popolare”, Genova 1960, p. 100). Paulus V huic desiderio omnino satisfecit concedendo Scholis Piis paupertatem aequè strictam ac eam Capucinatorum (cf. Breve “Ad ea per quae”: Bull Rom, Taur. 1867, pp. 383b-384a). Attamen in Constitutionibus pro Scholis Piis in 1622 a Gregorio XV approbatis ille sublimis et austerus tenor summae paupertatis invenitur iam aliquantum attenuatus, nam ibi declaratur quod nulla bona stabilia admittantur “praeter ecclesiam, domum ad exercendas Scholas Pias et ad habitandum, hortumque contiguum” (Const.S.P., P. II, c. V, n. IV). Iam tum ergo religiosi Scholarum Piarum non possunt gloriari de paupertate aequali paupertati Capucinatorum, et id non solum quia - uti ipse P. Stanislaus annotat - Constitutiones eis permittunt res ad vitam sustentandam necessarias ad annum providere “ne quotidiano labore exercitationes literariae impediatur” (ibid.), sed etiam, et praecipue, quia aliqua bona stabilia (supra enumerata) possidere possunt.*

¹²⁶ *Assertio haec non concordat cum supra expositis (no. 125). Evidenter P. Papczyński ita intellexit illum textum in Brevis “Dudum felicitis record.” Alexandri VII ex anno 1656, ubi legitur quod prohibetur Piaristis possidere “agros, vineas, domos et alia huiusmodi [bona] stabilia”, et quod bona tunc ab eis possessa vendere infra annum debuerunt (cf. SANTHA G., “P. I. Garzia”: Eph. Cal. XXX, 147; AGSP, Reg. Gen. 8, Ad 2 Genn. 1657). P. Papczyński evidenter in hac re fefellit, quia dicta prohibitio per speciem se extendit ad omnia bona stabilia, et expressis verbis nullam exceptionem facit spectantem ecclesias, scholas et domos a Piaristis in usu habitos. Attamen omnino necesse est tales exceptiones praesumere, quia includere haec bona in obligatione vendendi ea infra annum res omnino absurda esset.*

¹²⁷ *Cf. Const.S.P., P. II, c. V, n. IV. Attamen ab an. 1656 hoc licitum erat vi Brevis “Dudum felicitis record.” Alexandri VII (cf. BullRom [1869] 121b).*

supellex^a quoque ecclesiastica, summae paupertati consona, nihil serice^b, nihil aurei, vel argentei, excepta cuppa calicis pati deberet¹²⁸. Nam autem quid fiat” Iudicent ii, qui pia curiositate novissima cum Pii Scholis Piarum conferunt¹²⁹.

a “supellex” (C) b “serici” (C)

¹²⁸ Cf. *Const.S.P., P. I, c. VIII, nn. II. III; ibid., no. 58; - Acta Cap. Gen. 1659: Monumenta Histor. Sch.P., P. I, Romae 1936, p. 16 - AGSP, Reg. Prov. 51, n. 62, 5 Oct., 5.*

¹²⁹ *P. Papczyński hic praesumit quod hi “iudices” tali comparatione ad conclusionem pervenient quod illo tempore in praxi paupertatis religiosae apud Piaristas adfuit “veteris observantiae relaxatio”. Attamen quid vult is dicere per hanc expressionem? - Videri posset quod is ita vocat attenuationes in praxi paupertatis quae ab anno 1656 legitime introductae sunt in Institutum Scholarum Piarum; et reipsa aliquo modo eae apportaverunt “veteris observantiae relaxationem”. Sed clarum est quod impossibile erat alicui obicere istum tenorem mitigatum paupertatis (hinc P. Papczyński dicit: “ego vero minime generali observationi Piarum Scholarum [i.e. observationi a Breve Pontificio anno 1656 stabilitae] detrudere volens”), et eo minus erat possibile ad talem “relaxationem” provocare uti iustam causam egressionis ex Instituto, quia haec pro nemine constituebat “perniciem” vel “periculum salutis” (§ 34). Hinc videtur quod P. Papczyński, ope exemplis hic apportatis, volebat solummodo indicare aliquam tendentiam in suo Instituto ad relaxationem paupertatis, quamquam hoc fiebat in modo legitimo (cf. *SANTHA G., “P. Camillus Scassellati”, in: Eph. Cal. XXX, pp. 170. 202-203*). Evidenter ex hac paupertate legitime attenuata et lege Instituti definita ulteriores attenuationes procedebant, hac vice illegitimae, ob quas is increpabat “quosdam propensos ad laxiora” (§ 34). Et videtur quod specialiter in materia bonorum stabilium illo tempore abusus existebant sat communes, eo sensu nempe quod Piaristae non solum ecclesiam, scholam et domum pro propria abitatione possidebant. Quod patet ex *Actis Capituli Provincialis an. 1667 celebrati, prout in Positione monstratur. Ibi etiam dantur probationes de existente in Scholis Pii problemate conexo cum illegitima admissione bonorum stabilium ab anno 1665 usque ad annum 1686 (cf. *Positio, p. 269, no. 7*). Mirum proinde est quod Kraus asserit quod talis admissio non fuit usque ad annum 1671 “in provincia nostra a nemine nostrum [...] cogitata vel attentata” (v. *Positio, p. 329: Kr., A.D. 1671, § 7*).**

36. - Ad castitatem conservandam ordinatae sunt a B. Fundatore in Constitutionibus certae^a abstinentiae¹³⁰, quae iam variant, et lente dispensantur¹³¹. Ad obedientiam pertinet ut aequae Superiores pareant legibus, atque subditi esse illis et Superioribus. Ego certe animadverti aliud fieri, cum et vox illa audiebatur a quibusdam, eas tu ad Tartara, modo obedias^b¹³². Et ego nulla magis causa immensas agitationes subiverim, quam quod Superioribus non aperte modo, sed etiam violente domesticas Pontificiasque leges conculcantibus, me exposuerim, quemadmodum testimoniis clarissimis id probare sim paratus¹³³.

37. - Silentium custos virtutum omnium iam frigidius servabatur, et ut maior esset tumultuum occasio, declaratum est non frangi silentium submisso loquendo¹³⁴, cum interea in submissis illis colloquiis, ut plurimum murmurationes, querelae^c, susurrations, odia, supplantationes et similia promovebantur, quae si clarum quisque loqueretur, nusquam fuisset^d audita. Unde ego ea de causa reprehendebam silentii non servati, quod audiri vellem ab omnibus, quia mihi displicebat ille sermo tacitus. Sciatur, quid sit in corde, per illud quod est in ore; nunquam clamores metuo, susurros odi.

a “certe” (C) b “obediam” (C)

c ita secundum “C”, ad evitandam erroneas lectiones: “querellae” (B) et “quaerellae” (A) d “fuissent” (A)

¹³⁰ Cf. *Const.S.P.*, P. II, c. IV, nn. I-VI. Ibi praescripta sunt etiam ieiunia evidenter sub verbo “abstinentiae” inclusa.

¹³¹ Cf. *ibid.*, no. 83. 87-90.

¹³² Evidenter ita respondebatur a quibusdam Superioribus cum aliquis eorum “inferiorum” obiebat quod mandatum ei datum contrarium erat alicui legi ecclesiasticae, et quod proinde esset peccatum grave illud adimplere.

¹³³ Cf. *supra*, §§ 2-33.

¹³⁴ Cf. *Const.S.P.*, P. I, c. VI, no. 50; “Acta Cap. Gen. 1659”, in: “*Monum. Hist. Sch.P.*”, I, p. 16.

38. - Charitas quae unicum paradisum facit ex Religione: o quam frigida! Ad hanc illa Apostoli credo spectare, alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi¹³⁵, non erat vero sic onera portare, etiam effingere^a culpas alteri, ut vexaretur.

39. - Antipathia, et simpathia maxime prohibita¹³⁶, summopere se in Scholas Pias insinuaverat, ut iam saepius audiretur: Ego Petri, ego Pauli¹³⁷. Neque res pro iustitia, sed pro affectu iudicabantur adeo, ut meritissimi viri, solis persecutionibus honorarentur ideo, quod moribus suis merito gravioribus, aliorum levitati, dicere liceat, etiam insolentiae, non arrideant^b.

40. - Superiorum electiones Provinciis per Alexandri Septimi Breve primum concessae^{c138}, nescio quibus modis ad solum Generalem redierint^{d139}; quasi vero Generalis Romae degens posset nosse, quis aptus in Polonia sit ad Provincialatum, aut Rectoratum. Ego enim non

a “affingere” (C) b “arriderent” (C) c “concessa” (A,C)

d ita secundum correctionem in “A” et “B”, dum in “C” retinetur lectio erronea: “rediit”.

¹³⁵ Gal 6, 2.

¹³⁶ Cf. Const.S.P. II, C. VII, n. V.

¹³⁷ Est evidens comparatio divisionum ob antipathiam et simpathiam inter Piaristas causatarum ad divisiones et contentiones inter Corinthios existentes quas S. Paulus reprehendit: “unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephae: ego autem Christi” (1 Cor 1, 12).

¹³⁸ Cf. Breve “Dudum felicitis recordationis”, ubi inter alia legitur: “facultatem eligendi Praepositos Provinciales in qualibet Provincia supradictae Congregationis, et Rectores illius Domorum Clericis ipsius Congregationis impertimur [...]” (BullRom 16 [1869] f. 120). P. Papczyński interpretabatur hunc textum in hoc sensu quod facultas data est Piaristis ut possent eligere Superiores Provinciales et Locales in respectivis Provinciis, quia verba “in qualibet Provincia” referebat ad verbum “eligendi” et non ad verba “Praepositos Provinciales” in sensu: “eligendi Praepositos Provinciales cuiuslibet Provinciae”. Cf. Positio, pp. 91-93: Doc. V, intr. A, 2, Ad secundum.

¹³⁹ Cf. *ibid.*, p. 93. Dubium solvitur in Breve Alexandri VII (28 Aprilis 1660).

illum aptum esse iudico, qui et foris convivia amat et domi, sed qui praeclaris dotibus virtutis, et doctrinae, laboribusque solidis mihi commendatus est, qui^a iugum imponendum aliis ipse fert, avidè et constanter, qui^a prius fecit, quod sit imperaturus, verbo qui rotis quatuor, zeli, mansuetudinis, prudentiae, doctrinae (prout innuebat alicubi^b Divus [F]ranciscus Salesius) vehi solet.

41. - Revereor ego Superiores Scholarum [P]iarum, sed non omnes, illos revereor, qui merentur esse tales; non [il]los, qui sunt intrusi et per calcatas^c leges naturae, Ecclesiae, subditorumque terga, ad^d fastigia Praelaturarum conscenderunt¹⁴⁰.

42. - Illud etiam non poteram et probare et perferre, quod pro certis culpis non essent certi Canones praescripti¹⁴¹, et arbitrio Superiorum castigatio permittebatur, qui indulgebant iis, quibus favebant, alios pro minimis graviter odium privatum promovendo plectentes. Darem exempla, sed norunt ea, qui sua norunt.

43. - Deinde intollerabilis plane^e videbatur tyrannis quod Superiores essent^f perpetuo iidem^f semper. Nam licet locum, non tamen^g statum mutabant. Hinc obedientiae obliti, imperio innutriti, non raro ut solent homines fatiscebant¹⁴².

a -a om. in "C", evidenter ob inadvertentiam b "alicui" (C)

c ita secundum "C", dum in "A" et "B" invenitur lectio: "calcular", quae excluditur, quia tale verbum in vocabulariis linguae latinae non existit. d om. "ad"

(C) e "prope" (C) f-f "perpetui iisdem" (C)

g "tam" (C)

¹⁴⁰ Forsitan hoc dicendo P. Papczyński prae oculis Patrem Provinciale Venceslaum Opatowski habuit; Cf. Positio: Doc. IX/5, § 2; 6, § 3; 9, § 2.

¹⁴¹ Reipsa, demum in Capitulo Generali anno 1671 decisum est praescribere ad experimentum "Canones poenitentiales" (cf. "Monumenta Historica Sch.P.", I, p. 25), qui anno 1686 vim legis obtinuerunt (cf. Const.S.P., pp. 166-168).

¹⁴² Notandum est tamen, quod ista "perpetuitas" Superiorum non erat nec contra legem communem (cf. BOUÏX D., "Tractatus de Iure Regularium", Paris 1857, p. 424s), nec contra legem Scholarum Piarum (cf. Const.S.P., P. II, c. IX, n. IV).

44. - Tandem Visitatio intra annos omnes, quam nomen Piarum Scholarum, et Ordo stat in Polonia nunquam instituita¹⁴³. Quamvis enim Superiores Locales a Provincialibus visitarentur, numquam tamen advertere potui, ut eorum defectus corrigerentur. Quin probabatur, aut saltem dissimulabatur in subditos saevitia. Visitatio illa fuit aut civilis, aut amica, sed non Canonica; ad evergendum^a[s] pauperculum aerarium, non ad observationem, aut restaurandam aut stabiliendam¹⁴⁴.

45. - Generalis porro Visitator toto tempore in hac Provincia non comparuit¹⁴⁵, nisi nuper ex Moravia, submissus Pater Carolus a Matre Dei ad meam praecipue, meorumque sociorum causam cognoscendam, non Superiores corrigendos. Qui cum esset Provincialis amicus, et patriota, in me potius patientem suam vim exercuit, non in illum agentem. Nam cum debuisset causas meae captivitatis investigare, odiorum^b erga me Provincialis¹⁴⁶, maluit opprimere magis insontem, ut quanto citius extruderet ex Scholis Piis, quam sublevaret.

a “everrigendum” (A, C). NB: non possum hanc lectionem agnoscere secundum verba hodie in vocabulariis latinis exstantia; sed etiam “evergendum” videtur esse lectio potius peculiaris, pro qua velim substituere “everrendum”

b “odiorumque” (C)

¹⁴³ Agitur hic de formali visitatione canonica, quam Superior Provincialis debuit singulis annis perficere (cf. Const.S.P., P. III, c. IV, nn. VI-VII).

¹⁴⁴ Adest difficultas in conatu verificandi hanc assertionem, quia ex annis 1642-1670, de quibus P. Papczyński hic loquitur, extant hodie decreta Visitationis Provincialis unius solius Domus (nempe Podoliniensis), et solummodo ex annis 1657, 1664, 1665, 1667 et 1669. In genere data sunt perpauca decreta “ad observationem aut restaurandam aut stabiliendam” et Visitator videtur parum curare “ut eorum [i.e. Superiorum localium] defectus corrigerentur”. Videtur quod ex dictis quinque Visitationibus sola Visitatio anno 1657 facta uti vere canonica agnosci potest.

¹⁴⁵ Cf. supra, §§ 6. 11. - Notandum est quod secundum Constitutiones Superior Generalis vel eius Delegatus debuit visitare singulas Provincias non secundum frequentiam stabilitam, sed solummodo “quoties Generali bene visum fuerit” (Const.S.P., P. III, c. V, n. I; cf. Ibid., c. II, n. VI).

¹⁴⁶ Cf. supra, §§ 19-20. 31.

46. - Quis recto sensu qui me novit, et externam^a vitam meam perspexit, non obstupescat, fuisse me durissime captatum a Provinciali, tum cum ei non deberem iam subesse, ob allatas plures rationes, et tamen Provincialis collaudatam saevitiam, meam innocentiam condemnatam^b. O Deus qui iudicas iuste recorderis, ignosce tamen.

CAUSA TERTIA: CHARITAS

47. - Spectat ad hanc, sentientibus ita Divinarum rerum Magistris, ob bonum publicum, etiam vitam prodigere, si nequit aliter defendi, vel^c conservari¹⁴⁷. Quid ego agerem proclamatus Turbator, Machinator, Proditor Congregationis¹⁴⁸, si conscientiae securitati vellem consulere” Fateor me etiam hactenus non agnoscere, quodnam turbarum in Scholis Piiis concitaverim, multo minus obiici mihi posse, aliquam earum proditionem. Zelo bono afflatus, modis omnibus inventis, me relaxationi in Provinciam nostram opponebam, fortiter vociferabar, etiam cum viderem quidpiam inordinate^d, contra Statuta Congregationis et Pontificia Decreta, sacraque Concilia fieri: uti ipse Provincialis in testimonio mihi ex mandato Illustrissimi et Reverendissimi Nuntii Apostolici post innocentiae meae deductionem dato fatetur, licet ea^e aequivoco^f termino usus¹⁴⁹. Sed quod cum externis, aut domesticis aliquas machinationes

^a “extraneam” (C)

^b Notandum est quod in “B” alia manu post “condemnatam” additum est verbum “voluit”. Sed erronee, quia omnia verba: “collaudatam [...] condemnatam” a “fuisse” dependunt (i.e. fit constructio: Accusativus cum Infinitivo post “obstupescat”).

^c “et” (C) ^d “inordinata” (C) ^e “a” (C) ^f om. “aequivoco” (C)

¹⁴⁷ Haec regula valet in casu gravis boni publici spiritualis (cf. TANQUEREY, “Theologia Moralis”, t. II, Parisiis 1927, p. 549, n. 786). Hic tale “bonum” salvandum est “bonum pacis” Provinciae Scholarum Piarum in Polonia (cf. infra, §§ 48-49).

¹⁴⁸ Cf. supra, §§ 5.7; Positio: Doc. V, 3, c, d. 8 nov., mane; d. 9 nov. P.M.; d. 11 nov., P.M., 1-mo.

¹⁴⁹ Evidenter P. Papczyński ita iudicat haec verba Testimonii ei a P. Provinciali Venceslao Opatowski die 20 Iulii 1669 dati: “zeli potius cuiusdam, quam turbationem fuisse animadverti” (v. Positio, p. 143: Doc. V, 7, [§ 2]).

adversus Congregationem fuerim molitus, hoc mihi nemo secunda conscientia potest obiicere, neque probare.

48. - Igitur licet adverterem, me nec turbatorem, nec machinatorem, nec proditorem esse, coniciens tamen mei causa turbationes exoriri, ea quod malevolis in meam perniciem et ruinam conspirantibus, et insurgentibus, benevoli me protegerent, et tuerentur, atque hinc multae dissensiones et certamina inter eos orirentur, decrevi tandem propter bonum pacis, propter tranquillitatem Provinciae cedere ex Scholis Piis; divinaque implorata clementia et protectione, seriam scripsi Varsavia epistolam Generali¹⁵⁰, obtestans illum, ut si propter me tempestas aliqua esset exorta, proiceret [me] in mare salvandum gratia Dei in navi Petri¹⁵¹. Supplicavi pariter Illustrissimo et Reverendissimo Domino Galeatio Mareschotto, tunc S. Sedis Apostolicae in Polonia Nuntio¹⁵², ut pro mei dimissione apud Patrem Generalem suam auctoritatem imponeret¹⁵³.

49. - Quod ubi Poloni praesertim Domus Resoviensis Patres olfere, ardentissimis literis, quas proferre sum paratus¹⁵⁴, me ad perseverandum in Congregatione exhortati sunt, pollicentes etiam propriorum corporum oppositu famae meae^a integritatem se defensuros. Sed quid profuere eorum testimonia, quid literae” testimonia per Rectorem

^a *add. “et” (C)*

¹⁵⁰ *Hodie haec epistola scripta a P. Papczyński ad Superiorem Generalem (P. Cosmum Chiara) non amplius exstat et de ea nulla alia fons mentionem facit. Notum itaque est nobis solummodo quod erat sua prima petitio pro egressu ex Scholis Piis. Videtur quod P. Papczyński eam versus medietatem Augusti an. 1669 scripsit. Cf. Positio, pp.145-147: Doc.VI, intr. A, 1.*

¹⁵¹ *Cf. Jon 1, 12.*

¹⁵² *Galeazzo Marescotti (1668-1670); v. supra, no. 66.*

¹⁵³ *Non habemus ullam evidentiam quod Nuntius Marescotti hanc petitionem adimpleverit (forsitan in causam P. Stanislai non voluit amplius se interponere).*

¹⁵⁴ *Hodie hae litterae non amplius exstant.*

Germano-Polonum¹⁵⁵ intercepta, literae a Patre Generali contemptae, ego persecutionibus et odiis maioribus involutus. Gratia et amor Polonorum Germanos¹⁵⁶ fecerat mihi inimicissimos, quos egregie Siculus Generalis¹⁵⁷ promovebat et propugnabat. Unde et secundo memini^a me in hunc sensum pro dimissione supplicasse, quandoquidem gratiores ei essent Germani imperantes nobis¹⁵⁸, quam Poloni portantes onus diei et aestus; illis retentis, me ingratum cum sancta charitate sineret abire¹⁵⁹. Quid effeci” iterum, iterumque mandabar incarcerationi¹⁶⁰. Quamobrem tantos motus animorum propter me concitatos expendens, non debui vera charita[te] permotus restituendae causa malaciae^b me ex Scholis Piis subducere?

CAUSA QUARTA: IMPEDIMENTA INGENII

50. - Modestissime et hoc liceat pro coronide adiicere, quod multis praeclaris viris bilem molaestissimam^c d^dattulit vel^d commovit.

^a Ita secundum “C”, dum in “A” et “B” datur lectio erronea: “nemini” ^b Ita secundum “C” (ubi legitur: “malitiae”), quia in “A” et in “B” datur lectio: “malitiae”, quae cum contextu omnino non concordat. P. Papczyński loquitur de malacia restituenda se revocando ad Ion 1, 15: “et stetit mare a fervore suo”.

^c “justissimam” (C) ^{d-d} om. “attulit vel” (C)

¹⁵⁵ Agitur de P. Michaele Kraus, Rectore Domus Resoviensis (1666-1671). In elenchis membrorum Provinciae Polonae Scholarum Piarum P. Kraus usualiter denotatur uti “Germanus”. De ratione cur is a P. Papczyński indicatur uti “Germanus-Polonus” vide: Positio, pp. 273-274, no. 7.

¹⁵⁶ Cf. supra, no. 31.

¹⁵⁷ Id est, P. Cosimus Chiara, vocatus “Siculus” quia e Sicilia proveniens.

¹⁵⁸ P. Papczyński hic prae oculis habet tres Superiores: P. Provincialem Venceslaum Opatowski (1665-1671), Rectorem Domus Resoviensis P. Michaelem Kraus (1666-1671) et Rectorem Domus Podoliniensis P. Glicerium Neumann (1664-1673).

¹⁵⁹ Agitur hic de secunda petitione Patris Papczyński pro egressu e Scholis Piis. Eam ad P. Generalem Cosmum Chiara probabiliter versus diem 15 Octobris 1669 mandavit, quando iam spem obtinendi responsum ad primam petitionem perdidit. Ista petitio hodie non amplius exstat et non scimus exacte quid in ea scriptum erat. Cf. Positio, p. 147: Doc. VI, intr. A, 2.

¹⁶⁰ Non habemus ullam confirmationem documentariam de dictis incarcerationibus P. Stanislai, vel etiam de conatibus incarcerationandi eum anno 1669.

Amplexus ego Piarum Scholarum institutum Sanctissimum, ita et^a labores impositos mihi et suscipiebam et absolvebam, ut ii futuris quoque temporibus, ac serae posteritati grati ac utiles forent. Docendae itaque eloquentiae admotus, et in ea palaestra novennio circiter aut decennio, non impigre desudans¹⁶¹, scripsi multa, et elucubrare coepi, quae non studiosi^b[s] tantum eloquentiae, verum et Praeceptoribus utens^c[s] emolumento.

51. - Nam sex libros de arte dicendi, sub titulo Reginae Artium, magno conatu et solitudine^d, tam ex veteribus, quam ex^e recentioribus dicendi Magistris excerpsi, omnia saeculi praesentis, ac maxime nationis Polonae usui accomodans, meisque exemplis ac aliorum illustrans planam et Regiam viam dicendi secreto conscripsi¹⁶². Praeterea Oratorem Scholastico-Civilem, Tyronem Eloquentiae, Orationumque ac Epigrammatum, Elegiarum, Odarum iustum volumen¹⁶³, nihil a praeceptis mihi conscriptis recedens. Non memoro reliqua, etsi forte non omnibus placitura (quis enim unquam hoc est consecutus vel^f consequetur) multis tamen profuturum.

52. - Praemisi omnibus Prodrorum Reginae artium ex eius corpore maiore desumptum¹⁶⁴, quem cum expedirem in lucem publicam, o^g*quot impedimenta habui, quot difficultates superare^{*g}, quot scomma-

a om. "et" (C) b Videtur quod ad textum intelligendum deberet esse: "studiosis"
 c Videtur quod ad textum intelligendum deberet esse: "essent" d "solitudine"
 (A, C) e "et" (A) f "et" (C) g-g om. "quot.... superare" (B), quam omissionem (ob inadvertentiam factam) e "A" et "C" supplere potui

161 P. Papczyński fuit "Magister Rethorices" in dicto spatio temporis in tribus Collegiis Scholarum Piarum: Podolinii (1658-1660), Resoviae (1660-1662) et Varsaviae (1663-1667; 1668-1669). Cf. Positio, pp. 58-62: Doc. IV, intr. A, 1.

162 Cf. Positio, pp. 58-59: Doc. IV, intr. A, 1, a; p. 582: Doc. XV, Art. II, B, a, II, 4.

163 Hodie exstat nullum ex dictis manuscriptis operibus rhetoricis P. Stanislai. Cf. Positio, p. 582: Doc. XV, Art. II, B, a, II, 5. Cf. Krzyz., pp. 145-146. 148-149.

164 Cf. Positio, pp. 576-577: Doc. XV, Art. II, A, a, I, 1; pp. 591-592: *ibid.*, Art. III, 1.

ta debui concoquere! Taceo fulmina in eum statim ac prodiit vibrata eo forsitan domesticis concitatoribus¹⁶⁵. Prodromum ipsa Regina sequi merito debebat¹⁶⁶. At^a concessane^b mihi horula temporis illius elucubrandae” datusque aliquis amanuensis promissus” ne^c favor, aut auxilium typi. Imo ne^d unquam compareret in lucem omnibus modis ab iis procuratum, qui ut noctuae, aut vespertilioes timendo lucem aliis invident. Oratorem Crucifixum¹⁶⁷ communi daturus usui, ter facultatem petii a Patre Generali, nec responsum accepi¹⁶⁸; cur ita” Inclarescet (dicebatur) impressione librorum, habebit Patronos, et qui illum expugnabimus?

53. - Hinc et Panegyrico Sacrae Regiae Maiestatis Polonae, quinta prope felicissimam electionem die, si bene memini, Collegii Varsavi-

a “Ast” (C) b ita secundum “C”, quia non convenit, secundum contextum, neque lectio: “necessarii” (B), neque lectio: “necessarie” (A). Forsitan in originali erat: “concessane [fuit] necessaria mihi horula...” c “aut” (C), secundum correctionem d ita secundum “C”, quia non convenit hic lectio: “aut” (B, A)

¹⁶⁵ Nescimus cur aliqui ad hoc opus - quo P. Papczyński “artem tam bene dicendi, quam bene vivendi” docuit - tam fortem oppositionem instituerunt. Forsitan causa ob quam “fulmina” in PRAR vibrata sunt, erat oratio ab eo contra liberum veto scripta, quamvis sub forma mitigata orationis sic dictae “in utramque partem” (cf. PRAR, ed. II, Varsaviae 1664, pp. 29-33. 34-38). Videtur tamen quod in tertia editione PRAR P. Papczyński contra liberum veto iam aperte invexit, quo pacto adhuc magis dicta “fulmina” excitavit. Cf. Positio, pp. 305-306: Doc. IX, A.D. 1668, § 4; p. 580, no. 14.

¹⁶⁶ I.e. P. Papczyński sperabat quod post “Prodromum Reginae artis” etiam “Regina artis” typis ederetur; quam spem ipse verbum “Prodromus” exprimebat, in quantum significat personam vel rem quae praecedat aliam. Cf. PRAR, ed. I, “Candido Lectori”; ed. IV, “Amice Lector”.

¹⁶⁷ Opus asceticus sic intitulatus anno 1670 typis datum est; v. PAPCZYŃSKI S., “Orator Crucifixus” (OC), ed. Fontes Historiae Marianorum, 6.

¹⁶⁸ Piaristis opus erat talis facultatis petendae secundum praescriptum: “Nemo quidquam typis audeat mandare sine approbatione Examinatorum et consensu Generalis” (Regulae Communes, n. 39: Const.S.P., p. 86). Hodie non amplius extant illae suae petitiones. Opus typis mandatum est anno 1670, quando P. Papczyński, tunc iurisdictioni Ordinarii loci subiectus, iam ad hoc faciendum consensum P. Generalis petere non debuit. Cf. Positio, pp. 588-589: Doc. XV, Art. III, intr., d.

ensis oblato¹⁶⁹, vetuerunt me nomen apponere, licet Constitutiones id mandabant¹⁷⁰. Et si apposuissem, exurere illum voluerunt, ne videlicet aliquomodo Summae potestati cognitus¹⁷¹, ab ea deinceps benignissime protegerer et servarer, in illa quam mihi parabant tempestate¹⁷².

54. - Non dico, ut illos pudeat dilectissimi (quia confusionem nulli opto) huius in me tanti odii, tantae oppugnationis legum, tot tantarumque causarum (nam plures, et forte graviores tacitus praetereo^a *]]* mihi ad egressum e vestro Consortio daturum^b *[s]*; sed oro ut praeniteat. Ego quidem iuste pro peccatis meis patior. Vos autem quid expectat” Ex parte mea, vera charitas, cui volo immori¹⁷³; attamen ex parte Dei iudicium, qui scrutabitur renes, et corda. Cuius tamen bonitati^c ego pro vestris charitatibus humillime flecto genua. Vos pariter pro me facite, ut saltem mutuo deprecantibus ignoscat, aut hic non alibi, quia iustus, castiget.

a “*praeterea*” (A, C) b *sic in omnibus copiis (A,B,C) in appositione ad “egres- sum”*; sed mihi magis conveniens videtur lectio: “*datarum*” in appositione ad “*causarum*” (forsitan sic erat in textu originali) c “*brevitati*” (C)

¹⁶⁹ *Agitur de rege Michaelae Korybuth Wiśniowiecki, qui Varsaviae die 19 Iunii 1669 electus est. In cuius honorem a Piaristis typis datus est Panegiricus a P. Papczyński statim post electionem conscriptus. Cf. Positio, pp. 115-116: Doc. V, intr. F, 5; pp. 587-588: Doc. XV, Art. III, intr. c.*

¹⁷⁰ *Cf. Const.S.P., P. II, c. VII, n. VI. Cf. Positio, pp. 116-117: Doc. V, intr. F, 5, ubi explanatio hypothetica data est rationis ob quam P. Stanislawo vetitum est id facere quod “Constitutiones mandabant”.*

¹⁷¹ *Cf. supra, § 23.*

¹⁷² *Probabiliter scribendo de illa “tempestate”, P. Papczyński prae oculis habuit incarcerationem suam a Provinciali Opatowski initio anni 1670 ordinatam; cf. supra, §§ 19-20.*

¹⁷³ *Et reipsa P. Papczyński post suum egressum e Scholis Piis versus hunc Ordinem verbo et opere charitatem monstravit. Cf. Positio, pp. 233-246: Doc. VII, B.*

Fundatio Domus Recollectionis

In Eremo Corabieviensi, versus finem anni 1675 (?).

Praesentatur hic in editione critica scriptum P. Stanislai a I.M. Papczyński, in quo in lingua latina narratur quo modo - post eius egressum e Scholis Piis - perventum est ad fundationem Congregationis Clericorum Marianorum (1673) et quo modo fundata est eius prima Domus (vocata illo tempore "Domus Recollectionis") sita in Eremo Corabieviensi, quae postea coepit vocari: Eremus Mariana.

Est scriptum magni valoris pro nostra cognitione vitae et operis P. Papczyński annis 1671-1674, nam est unica fons ex quo scimus varia elementa tam vitae eius quam initii Instituti ab eo fundati (quamvis uti documentum historicum in nonnullis deficit)¹.

Ope huius opusculi P. Papczyński etiam occasionaliter docet nos, tam verbis quam praesertim exemplo propriae vitae, aliquid de studio religiosae perfectionis².

a. **Titulus.** - Titulus "Fundatio Domus Recollectionis" (*FDR*) est titulus huius operis a nobis abbreviatus. Titulus plenus est: "Fundatio Domus Recollectionis Clericorum B.M.V. sine macula conceptae". Probabiliter talis titulus fuit huic scripto impositus ab ipso auctore in suo autographo (non amplius exstante), quod anno 1773 fuit mandatus Romam una cum aliis scriptis P. Stanislai in conexione cum suo Processu Beatificationis. Scriptum sic intitulatum invenimus in elencho eius scriptorum (n. 9), quae Romae examinata sunt anno 1775³.

In duobus elenchis horum scriptorum in Polonia confectis aliquot annis antea, idem scriptum est intitulatum: "Fundatio Domus Recollectionis Clericorum Beatae Virginis Mariae"⁴.

¹ Cf. *Positio*, p. 353: Doc. X, 5, *intr.*, 6: "Valore".

² Cf. *Krzyz.*, p. 136.

³ Cf. *Positio*, p. 350, no.1.

⁴ Cf. *ibid.*, no. 2.

Versus annum 1705 in *Protocollo Ordinis* prima pars *FDR* collocata est in capite quod habet titulum: “In quo [capite] origo Foundationis [...] continetur”. Versus annum 1772 Romae hoc scriptum (partialiter ex exemplari *Protocolli* transcriptum) denotatum est uti: “Origo foundationis Congregationis Immaculatae Conceptionis” et “Historia Foundationis Congregationis”⁵. Uti videri potest, loco “Domus Recollectionis” positum est verbum: “Congregatio”, quia contenta *FDR* facile sic interpretari possunt, dum ignotus tunc erat Romae titulus originalis, nam autographum *FDR* solummodo anno 1773 Romam missum est.

Notandum est quod non amplius exstat *Protocollum* originale et quod exemplar eius ex anno 1744, quod est unicum conservatum, ad usum studiosorum historiae Congregationis Marianorum solummodo versus annum 1962 datum est et eis notas fecit partes *FDR*, quae omissae erant in dictis transcriptionibus Romanis. Solummodo tunc evidens factum est quod partes *FDR* ibi allegatae proveniebant ex eius textu completo distribuito in *Protocollo* in tribus capitibus Primae Partis, sub titulis propriis. Itaque ante annum 1962 nemo potuit identificare *FDR* (i.e. eius partem tunc cognitam) cum scripto indicato anno 1775 sub titulo: “Fundatio Domus Recollectionis...”. Haec est ratio cur *FDR* a historicis ante annum 1962 intitulabatur: “Origo foundationis” vel “Origo Foundationis Congregationis Immaculatae Conceptionis”⁶.

Titulus originalis restitutus est huic scripto anno 1963 a Krzyzanowski in sua dissertatione⁷ et anno 1977 in *Positione*⁸.

b. **Auctor.** - P. Stanislaus a I.M. Papczyński non indicatur modo formali in ipso scripto uti auctor *FDR*. Attamen indubitanter “ego” narrationis in hoc scripto identificatur cum eo, quia omnia ibi narrata correspondent factis de eius vita nobis aliunde notis et nemo alius potuit cognoscere et describere omnia particularia foundationem Congregationis Clericorum Marianorum respicientia. Insuper *FDR* includit *Oblationem* auctoris, qui ibi initio clare revelatur verbis: “Ego Stanislaus a Iesu Maria Papczyński [...]”⁹.

⁵ Cf. *Positio*, p. 350: Doc. X, 5, *intr.*

⁶ Cf. *ibid.*, p. 351.

⁷ Cf. *Krzyz.*, p. 134, no. 336.

⁸ Cf. *Positio*, p. 350: Doc. X, 5, *inscriptio*.

⁹ V. *supra*, SH, 5.

Iam adnotatum est quod tota traditio Instituti a P. Papczyński fundati eum uti auctorem *FDR* agnoscit, incipiendo a *Protocollo* (1705), ubi dicitur quod textus *FDR* ibi transcriptus desumptus est “ex manuscriptis Venerabilis Patris Stanyslai a Iesu Maria de verbo ad verbum”¹⁰.

c. **Tempus compositionis.** - Non est clare in *FDR* indicatum quando P. Papczyński hoc opusculum conscripsit. Certum est quod saltem ad finem illud deduxit post diem 15 Iunii 1674, quia in fine huius scripti allegatur Decretum hac die datum (v. *infra*, “ 27).

Insuper aliquam indicationem internam habemus ex sequentibus verbis: “Si autem [...] voluissem aliquid in fundanda Congregatione agere, iam [...] *per hoc biennium* habuissem” (v. *infra*, “ 26). Ergo *FDR* scriptum est quando iam duo anni ab fundatione Congregationis CC. Marianorum elapsi sunt, et quia P. Papczyński eam mense Octobris 1673 fundare in Eremo Corabieviensi coepit, concludi potest quod *FDR* versus finem anni 1675 scriptum est.

Ad tempus compositionis determinandum forsitan adiutorio posset esse fuga Stanislai Krajewski ex Eremo. Quamvis in *FDR* auctor nihil explicite de hac fuga dicit, attamen ibi de eo et de eius modo se in Eremo gerendi ita scribit quasi hoc esset iam caput conclusum (cf. *infra*, “” 21-23). Krajewski “more apostatae aufugit” probabiliter uno de ultimis mensibus anni 1675¹¹. Probabiliter ergo *FDR* mox post eius fugam, i.e. versus finem anni 1675, scriptum est¹².

d. **Fontes.** - Uti in caso unicuiusque opusculi memorialis, ita etiam in caso *FDR* fons principalis ad id scribendum debuit esse memoria auctoris; saltem in uno casu id revelat verbis: “si bene memini” (cf. *infra*, “ 16). In quantum scimus - non habuit in usu scribere aliquod diarium, quo postea potuisset uti ad *FDR* scribendum. Non invenimus in *FDR* citationes ad alia scripta sua vel aliorum. Attamen pro P. Papczyński debuit esse facile meminisse res quae decursu ultimis quinque annis in sua vita acciderunt. Et si tria documenta in textus huius opusculi allegavit (v. *infra*, “” 3. 27), parum ea uti fontes adhibuit.

¹⁰ V. *Prot.*, p. 16.

¹¹ Cf. *Positio*, p. 371: Doc. X, 6, a, § 2 et no. 7.

¹² Datur tamen opinio quod *FDR* ante dictam fugam scriptum sit, quia - arguitur - alioquin de ea esset ibi aliquid scriptum. Cf. *ibid.*, p. 352, no. 12.

Aliquis obicere possit quod hic usus memoriae uti quasi unici fontis pro *FDR* causavit nonnullos eius defectus qua documenti historici (de quibus mentio supra facta est). Est tamen possibile quod auctor parum curavit de aspectu historico huius scripti et lectorem solummodo vel magis de generali progressu adimpletionis suae alterae vocationis religiosae informare voluit.

e. **Textus.** - Iam supra dictum est quod hodie non exstat amplius nec autographum *FDR*, nec eius exemplar primigenium factum in libro originali *Protocolli Ordinis Immaculatae Conceptionis* (ca 1705). At vero exstat hodie exemplar huius *Protocolli* factum ca annum 1744 et ex hoc libro notus est nobis textus *FDR* in eius exemplari secundario¹³: “P”.

Iam dictum est supra quod *FDR* non est transcriptum in *Protocollo* uti textus distinctus et separatus, sed uti fons quem editor *Protocolli* adhibuit pro enarratione historiae Congregationis CC. Marianorum. Quo pacto *FDR* non solum proprium titulum ibi perdidit, sed etiam divisum est in tria capita Libri Primi: “De Origine et Ereptione huius Congregationis”: cc. II, III et V¹⁴, et solummodo argumentum narrationis facit possibile unire has tres partes sub titulo originali qui nobis ex alio fonte innotescit.

Scriptor exemplaris *Protocolli* ex anno 1744 habuit accessum ad archivum Domus Corabieviensis ubi conservabatur autographum *FDR*. Ex quo restituit ad eius textum in dicto exemplari *Protocolli* transcriptum *Oblationem* quae omisa est in *Protocollo* originali (cf. *supra*, SH, 5, intr., d). Insuper inseruit (uti Caput IV) inter secundam et tertiam partem *FDR* documentum, quod ad *FDR* non pertinebat¹⁵, sed suis contentis connexum est cum eventibus in hoc scripto narratis¹⁶.

Non habemus absolutam certitudinem quod in *Protocollo* (1744) *FDR* integraliter transcriptum sit. Hoc licet credere, sed eius editor (uti supra dictum

¹³ *Prot.*, pp. 16-25. 29-30.

¹⁴ Cf. *Prot.*, pp. 16-22. 22-25. 29-33. Ibi capita habent titulos proprios ab editore *Protocolli* provenientes.

¹⁵ Sunt Actus Visitationis canonicae in Eremo Corabieviensi ab Episcopo Stanislao G. Świecicki die 24 Octobris 1673 peractae. Cf. *Positio*, pp. 339-345: Doc. X, 3.

¹⁶ Quo pacto narratio *FDR* interrupta est contentis Capituli IV (v. *infra*, § 24, in fine), quod sequentem annotationem marginalem habet: “ab hoc loco desit in Originali [*Protocollo*] usque ad hunc” (v. *Prot.*, pp. 25-28).

est) hoc solummodo de eius prima parte affirmavit. Hinc est semper possibile (quamquam parum probabile) quod aliqua pars *FDR* contentis minus cum argumento Libri Primi huius *Protocolli* connexum in transcriptione omissa sit.

Iam supra (v. “a”) mentio facta est de exemplaribus (partialibus) *FDR* Romae circa annum 1772 factis¹⁷: “R”. Probari potest quod exemplar “P” et exemplaria “R” (excerpta) *FDR* sunt invicem independentia, quia diversis viis a *Protocollo* originali proveniunt¹⁸.

Inter exemplaria “P” et “R” adest diversitas in numerosis lectionibus textualibus, specialiter in parte centrali, et maior pars lectionum quas praeponimus invenitur in “P”. Sed ratio principalis cur hoc exemplar in hac editione critica praesentatur est factum quod solum in hoc exemplari “P” textus completus *FDR* invenitur.

Ex texto *FDR* hic praesentato excluditur *Oblatio*, quia ob rationem cronologicam hoc documentum separatim praesentatur (v. *supra*, SH, 5).

Excluduntur etiam duo alia documenta, quia non pertinent ad scripta P. Stanislai Papczyński, sed sunt solummodo ab eo allegata (v. *infra*, “27”), et lector ea facile in *Positione* invenire poterit¹⁹.

Sub hoc respectu quaedam exceptio facta est pro “oblatione” Stanislai Krajewski, quia solummodo pars eius in *FDR* allegata est; etiam quia pauca elementa propria habet et in suo corpore oblationem P. Stanislai Papczyński repetit (v. *infra*, “15”).

Textus *FDR* est hic divisus in 27 paragraphos eodem modo quo apparet in *Positione*.

FDR prima vice typis mandatum est anno 1960 a Navikevičius sub titulo: “Origo Foundationis”²⁰, non tamen integraliter, quia desunt in eius textu partes quae notae sunt solummodo ex exemplari facto in *Protocollo* (1744), et hoc

¹⁷ Haec exemplaria (Rs, Rr et Ra) citantur in: *Positio*, p. 355, no. 22, 23 et 24.

¹⁸ Cf. *Positio*, pp. 355-356: Doc. X, 5, *intr.*, 7.

¹⁹ V. *Positio*, pp. 336-339: Doc. X, 2; pp. 345-350: Doc. X, 4.

²⁰ Nav., *Append.* I, n. 19: pp. 27*-31*.

inventum est solummodo anno 1962. In genere dici etiam debet quod est editio sat defectiva²¹.

Textus completus *FDR* (secundum “P”) typis mandatus est prima vice in editione critica anno 1977 in *Positione* facta²².

²¹ Cf. *Positio*, p. 357: Doc. X, 5, *intr.* et *ibid.*, no. 31.

²² Vide: *Positio*, pp. 358-368: Doc. X, 5.

**^aFundatio Domus Recollectionis
Clericorum B.M.V. sine macula conceptae^a**

1. - Divina bonitas et sapientia, quae vult, inchoat ac perficit, obstantibus licet sexcentis difficultatibus, et ipsa mediorum, iuxta hominis arbitrium, impossibilitate. Nihil enim est impossibile Omnipotenti. Enituit hoc clarissime in me miserrimo peccatore abiectissimo, vilissimo, ineptissimo fundandae Congregationis postremae et minimae Clericorum Beatae Mariae Virginis sine macula Conceptae instrumento. Impar animus, nulla virtus, exigua prudentia, omnia longissime minora tantae molis negotio somniando potius, quam aggrediendo, in me fuere. Sed Deus ipse, Deus (cui sit gloria sempiterna^b, infinita, et gratiarum actio), quemadmodum me ad hoc suum opus Divinitus, hoc est amanter, misericorditer, sapienter, mirabiliter excitavit, ita illud ipse peregit peragitque in finem aeviternum.

2. - Novere non pauci, qui fuerim in mihi vita mea carioribus Scholis Piis, in illa Pauperum Matris Dei suavissima Societate²³, quanti meam vocationem non nisi a Deo provectam aestimaverim sit hoc explicatu difficillimum. Tenebar praeterea in illo sacratissimo coetu non amoris tantum vinculo alligatus, verum etiam iuramenti perpetuo in eo perseverandi Sacramento adstrictus²⁴. Primum indissolubile esse volui; alterum ille dissolvit, cui ligandi atque solvendi

^{a-a} *Loco huius tituli originalis, in "P" editor Protocolli contenta primae partis FDR (Prot., Pars I, c. II) his verbis describit: "[...] origo Foundationis ex manuscriptis Venerabilis Patris Stanyslai a Iesu Maria de verbo ad verbum [...]", nullum titulum pro toto textu FDR (in tria Capita distributo) providendo.*

^b "sempiternae" (Rs)

²³ P. Papczyński erat in Instituto Scholarum Piarum annis 1654-1670.

²⁴ Cf. supra, SH, 2, ubi in textu professionis votorum legitur inter alia: "Iuro me perseveraturum toto tempore vitae meae in dicta Congregatione [...]".

pontificium^a traditum est, Sanctissimi^b Iesu Christi Vicarius, atque legitimus Divi Petri Successor Clemens Papa Decimus²⁵. Tametsi ad hoc pro! quali crucis via perventum est!²⁶

3. - Affligebant me praeterea et prope torquebant ingentes perplexitates, scrupuli, dubia, angores, timores. Quis enim fuisset tam profusae conscientiae, qui sine his a statu votorum licet simplicium, ad merum saecularem transiret?²⁷ quanquam mihi sub tempus absolutionis illa Divina Maiestas suggestit, ut dum ab his [*votis absoluebar*], aliis me eodem actu libere Deo obstringerem, quod feci oblatione sinu deprompta, publiceque, licet submissiore voce facta²⁸, ^bcuius tenor talis^b
^c[...]^{c29}

4. - Et acclamavit Pater ille, qui mihi, Generalis nomine impertitus erat absolutionem³⁰: Confirmet hoc Deus, quod operatus est in Te.

^a Ita secundum "Rs" et "Rr", dum in "P" datur lectio erronea: "Pontificum"

^{b-b} om. (Rs, Rr) ^{c-c} om. (Rs, Rr)

²⁵ *Vi Brevis Clementis X, "Cum felicitis recordationis" (18 Oct. 1670) P. Stanislaus Papczyński tum a votis simplicibus, tum a dicto Iuramento absolutus est. Cf. Positio, p. 204: Doc. VI, E, 2, §§ 1. 3.*

²⁶ *P. Papczyński loquitur hic de persecutionibus quas in Scholis Piis expertus est. Cf. Positio, pp. 86-207: Docc. V-VI.*

²⁷ *Videtur quod P. Papczyński loquitur hic de suo statu interiori mox post absolutionem a votis in Scholis Piis (die 11 Decembris 1670) et quod ad dictum "dubium" solvendum probabiliter versus finem anni 1670 is re-admissionem ad Scholas Pias supplicavit. Cf. Positio, p. 219: Doc. VII, A, 2, intr.*

²⁸ *Vide supra, 5, ubi praesentatur textus huius oblationis die 11 Decembris 1670, absolutione P. Stanislae a P. Kraus impartita, factae.*

²⁹ *V. Prot., pp. 17-18. Iste textus "Oblationis" hic omissus est, quia praesentatus est alio loco (supra, SH, 5) secundum ordinem chronologicum.*

³⁰ *Agitur de P. Michaele Kraus, ViceProvinciali Provinciae Poloniae Scholarum Piarum. Cf. Positio, pp. 190-193: Doc. VI, E, intr.*

5. - Confirmavit utique, nam petita obtentaque venia a Reverendissimo Domino Vicario (Nicolaus Oborscius, erat vir prudentissimus Episcopus Cracoviensis³¹, qui iam inclinaverat animum ad iuvandum me in nova Congregatione condenda, sed postea cuius instinctu plane ignoro mutavit) Habitus Candidi assumendi, iam eo debebam vestiri per quendam Praelatum Domesticum Episcopalem in eiusdem Palatio, ubi tum securitatis causa protegebatur³², intra ipsa Immaculatae Conceptionis solemnia.

6. - Verum dispositione Divina factum, ut infecta re³³ Varsaviam ab Illustrissimo Domino Ioanne Gębicki^a, tum Plocensi, deinde Cracoviensi Praesule³⁴ singulari meo fautore evocatus essem³⁵. Atque hic mihi Cathedralis Plocensis Canonicatus offerebatur; quem amore Dei et ob^b intentionem meam ad gloriam eius Matris prosequendam repudiavi, licet hoc facinore graviter offensum mihi Patronem redderem, qui me Praelatura hac insignitum lateri suo applicare vehementer audebat^{c36}. Nec deerant Religiones Sanctissi-

a “Gembicki” (Ra, abhinc abbreviatum “R”)

b Ita secundum “R”, quia est manifesta omissio in “P”

c “ardebat” (R, correctio non necessaria: hic “audere” datur pro “velle”)

³¹ Episcopus Nicolaus Oborski († 1689) erat Suffraganus Cracoviensis annis 1658-1689. Cf. HierCat IV, 214.; PEK, XXIX-XXX, 120.

³² Causa huius refugii in palatio episcopali erat timor novae incarcerationis Podolinii. Cf. Positio, pp. 184-186: Doc. VI, D, intr.; Doc. VI, D, 1.

³³ Nescimus quid impeditit assumptionem habitus candidi a P. Papczyński. Cf. Positio, p. 217: Doc. VII, A, 1, intr.

³⁴ Revera Episcopus Ioannes Gembicki, Ordinarius Plocensis ab anno 1655, anno 1674 translatus est non ad sedem Cracoviensem, sed ad sedem Vladislaviensem (Kujawia). Cf. HierCat IV, 283; V, 418.

³⁵ Nescimus si Ep. Gembicki hoc fecit dicendo vel in scripto. Probabiliter Episcopus tunc invitationem in praevia epistula e die 1 Octobris 1670 expressam renovavit. Cf. Positio, pp. 194-201: Doc. VI, E, 1.

³⁶ Cf. Positio, p. 494: Doc. XII, 5, §[3]; p. 640: Doc. XVII, § 34.

mae quae me ad gremium suum invitabant³⁷, et sane me invitum, siquidem perfectionis maioris anhelantem. Illa tamen divina visi[o]^a quae fuit animo impressa meo circa Congregationem hanc Immaculatae Conceptionis BMV^b instituendam³⁸, posthabitis omnibus, et reditu^c etiam ad Scholas Pias intercluso³⁹, me agebat suam ad metam.

7. - Itaque iterum Illustrissimum Dominum Stephanum Wierzbowski^d Episcopum Posnaniensem⁴⁰ in cuius dioecesi morabar adii⁴¹, ab eoque facultatem novi habitus induendi facile obtinui. Vir enim rectus probusque est, gloriaeque Dei provehendae ardentissimus. Quocirca omissio loco, apud Plocensem Antistitem, me e consilio et mandato Confessoriorum ad Domum cuiusdam Nobilis Iacobi Karski viri optimi

^a “visi” (P); “visio?” (R, sed additio “o” est parum clara)

^b om. “BMV” (R)

^c “redditu” (R, secundum correctionem)

^d “Merzbovium” (R)

³⁷ Non habemus ullam confirmationem documentariam huius affirmationis, sed probabiliter erant invitationes solummodo orales. Haud proinde credi potest affirmatio Patris Kraus, quod P. Papczyński post suum egressum ex Scholis Pias “ad alios ordines, puta ad [...] confugiebat et admitti petebat; sed ubique repulsam passus” (Positio, p. 329; Doc. IX, 10: A.D. 1671). Deest etiam confirmatio documentaria affirmationis P. Casimiri Wyszyński, secundum quem P. Papczyński ad Ordinem Praedicatorum Observantium S.P. Dominici “statim valedicens Scholis Pias petiit suscipi” (ibid., p. 692; Doc. XVIII, § 76).

³⁸ Cf. supra, SH, 5, § 2.

³⁹ Probabiliter P. Papczyński loquitur hic de exitu negativo suae petitionis pro re-admissione ad Scholas Pias. Cf. Positio, p. 219; Doc. VII, A, 2, intr.; p. 329-330: Doc. IX, 10: A.D. 1671, § 7.

⁴⁰ Ep. Stephanus Wierzbowski, Ordinarius Posnaniensis (1663-1687). Cf. HierCat IV, 287.

⁴¹ P. Papczyński hanc audientiam apud Episcopum Wierzbowski quasi certe Varsaviae obtinuit, ubi Episcopus residentiam permanentem habuit. Verbum “iterum” indicat quod iam antea P. Papczyński cum Ep. Wierzbowski locutus est et probabiliter tunc hic illi adiutorium in Congregatione fundanda promisit. En ratio cur P. Papczyński se ad dioecesim Posnaniensem transtulit.

rogatus contuli⁴², causaque cum Scholis Piis non sine iniuria mea aliqua tandem transacta⁴³, cum scitu Sacrae Nunciaturae Apostolicae infra Octavam Nativitatis Beatae Mariae Virginis, me in Candido iam colore, novum Eius Matris candidatum ad perpetua obsequia devovi⁴⁴: Illicoque Illustrissimum Dominum Angelum [Ranucci] Nuntium Varsaviae adivi cum obedientia praestanda, benedictione petenda, desideriiis aperiendis meis⁴⁵.

8. - Quae omnia tum prospere mihi successerunt. Nam licet multos admiratio corripuisset videntes me ex nigro candidum⁴⁶ et illud etiam

⁴² *Residentia Iacobi Karski erat in pago Lubocz, distante ca 80 km a Varsavia. Nescimus exacte quando P. Papczyński se Varsavia ad istum Domum transtulit, videtur tamen quod hoc versus medietatem Septembris 1671 fecit.*

⁴³ *P. Papczyński loquitur hic probabiliter de testimonio "super vitae honestate, ac morum, bonaeque conversationis" in Instituto Scholarum Piarum, quod ei Superiores huius Instituti dare imprimis noluerunt, sed quod ei - secundum sententiam iudicis - competebat (cf. Positio, p. 218: Doc. VII, A, 1, § [4]; p. 224-225: ibid., 3, §§ 8. 11; p. 229: ibid., 5, § [2]; p. 232: ibid., 6; p. 231: ibid., intr.). Videtur quod in fine ei tale testimonium (quod non amplius exstat) probabiliter initio mensis Septembris 1671 datum est, cuius tamen contenta ei iustitiam non restituerunt, hinc hoc testimonium ab eo uti "iniuria" iudicatum est. Cf. Positio, p. 360: Doc. X, 5, no. 21. Nihilominus, hoc testimonio obtento, debuit habitum Scholarum Piarum deponere.*

Attamen P. Papczyński scripsit: "vestes Pauperum Matris Dei [...] tamdiu post absolutionem externam retinui, donec ad meas Capitulo dicto porrectas responsum obtinuissem" (infra, SH, 8, § 2).

⁴⁴ *Ista caeremonia induendi habitum candidum a P. Papczyński locum habuit Luboczae, in cappella Domus Nobilis Karski, "coram imagine Immaculatae Virginis Mariae miraculosa" (Positio, p. 673: Doc. XVIII, § 32), probabiliter die 15 Septembris 1671.*

⁴⁵ *Nescimus utrum de hoc eventu aliqua annotatio facta est in Actibus Nuntii Angeli Ranucci a. Ranuzzi (1671-1673), sed si facta est, eam non possumus hodie invenire, quia hi Actus desunt in fondo "Arch. Nunz. di Varsavia", pars XX: "Regesta Nuntiorum ab an. 1587 ad an. 1713". Cf. Positio, p. 495: Doc. XII, 5, § [3].*

⁴⁶ *Habitus Scholarum Piarum erat coloris nigri, habitus autem a P. Papczyński indutus proque suo Instituto praescriptus erat coloris candidi (cf. Positio, p. 471: Doc. XII, 1, c. IV, § 4), sed habitus (vestis) in caesione erat quasi idem (cf. GÓRSKI Ludwik, "Krótka Wiadomość Historyczna o założeniu Zakonu Księży Maryanów w Polsce i o życiu Księdza Stanisława Papczyńskiego", in: "Pamiętnik Religijno-Moralny", V, Warszawa 1843, p. 299: "zrzucił suknię czarną, a przywdział białą (tegoż samego, co pijarska kroju)".*

occidentes ex Poeta: Tam subito Cygnus qui modo corvus erat⁴⁷; tamen ita fuere a Maiestate Divina dispositi^a, ut etiam hanc mutationem gratularentur, propositum collaudarent, successum beatissimum precarentur: inter alios ipse Nuntius Apostolicus, Antistes quidam^b, nec obscuri Religiosi⁴⁸, licet aliqui ut delirum viderunt, aliqui etiam persequerentur, quia necessario haec initia debebant in patientia aliqua fundari. Caetera ut omittam, ad ipsam iam qualem Congregatiunculae inchoationem^c pervenio.

9. - Degebam apud illum Dominum^d Nobilem Karski prope biennio⁴⁹, modosque quaerebam initii dandi formatae iam in animo meo a Divino Spiritu Societati Immaculatae Conceptionis. Verum deerant socii, quales initium tantae rei exposcebat. Et licet aliqui se offerrent

^a “dispositio” (P); impossibile est autem scire si “R” habet eandem lectionem erroneam, quia imago photographica comprehendit solummodo “dispositi” et non sinit scire utrum in fine huius verbi adsit “o”

^b “quidem” (R) ^c ita secundum “R”, substituendo lectionem erroneam: “inchoationem” (P) ^d om. (R)

⁴⁷ Ignotus est mihi Poeta, cui haec allegatio adscripta est.

⁴⁸ Notandum est quod tum in “P” quam in “R” post “precarentur” adest punctum, et non bina puncta, et verbum “inter” incipit cum maiuscula. Est tamen clarum quod Nuntius, Antistes et Religiosi constituunt subiectum pro verbis temporalibus: “gratularentur... collaudarent... precarentur”, et - quod patet etiam ex verbo “licet” - non pro “delirum viderunt... persequerentur”, uti aliqui historici (ob dictam insolitam interpunctionem) intellexerunt et ita ad affirmationes omnino erroneas pervenerunt; cf. Positio, p. 361, no. 24.

⁴⁹ Revera videtur quod is Luboczae parum ultra duos annos degebat, i.e. ab initio Septembris 1671 ad diem 30 Septembris 1673; cf. supra, § 7 et infra, §16.

tam saeculares, quam Religiosi, timebam eos mihi adiungere, tum propter non perspectam illorum^a virtutem, tum propter carentiam loci.

10. - Episcopus quoque Posnaniensis⁵⁰, quamvis mihi addictus, sinistre a^b quopiam infomatus, ab erigenda nova Congregatione in sua dioecesi pentius abhorrebat, praesertim non habito ad id consensu S. Sedis Apostolicae. Quem consesum duobus annis continuo procurare satagebam⁵¹, multosque labores propterea exhausti, et aliquas impensas feci. Sed quia Procurator⁵² erat perfidus et vafer, qui me promissis alebat, re nequidem attentata, idcirco placuit alia via ex consilio cuiusdam Paulini Religiosi maxime Reverendi in Christo Patris Francisci Wilga^c Ordinis Camaldulensis maioris in Regno Poloniae eximii viri⁵³, exemplo SS.

a “eorum” (R)

b ita secundum “R”, substituendo erroneam lectionem: “in” (P)

c “Wilga” (R)

⁵⁰ Episcopus Stephanus Wierzbowski, de quo v. supra, § 7.

⁵¹ Videtur quod “duobus annis” intelligi debet: “anno 1671 et anno 1672”, et non durationem duorum annorum; cf. Positio, p. 361, no. 26.

⁵² Nescimus quis hic “Procurator” erat.

⁵³ P. Franciscus Wilga fuit in Ordine Camaldulensi ab anno 1643. Quinque vicibus erat Vicarius Generalis pro Polonia. Anno 1667 nominatus est Prior Eremitae in Monte Regio prope Varsaviam. P. Papczyński probabiliter prima vice ibi P. Wilga cognovit initio Augusti 1667, quando recollectionem ibi fecit (cf. Positio, p. 298: Doc. IX, 6, § 6), et ab eo Litteras Commendatorias die 6 Octobris eiusdem anni pro suo itinere Romano obtinuit (cf. ibid., p. 124-126: Doc. V, 1, d). Videtur quod P. Papczyński Patrem Wilga in autumno anni 1672 in eadem Eremita visitavit et quod tunc dictum consilium obtinuit. Cf. Positio, p. 362, no. 30. Cur P. Papczyński P. Franciscum “Paulinum Religiosum” vocavit? - Forsitan quia erat vir plenus spiritus S. Pauli Apostoli. Cf. ibid., p. 361, no. 29.

Fundatorum rem aggredi, prius inquam Socium aliquem adsciscere, deinde habito loco rem Romana autoritate formare.

11. - Subiit ergo animum, esse quendam Eremicolam quattuor circiter milliaribus a Domicilio tum meo distantem⁵⁴. Hunc ^a placuit tentare, num vellet intentionem meam socius tenere^b. Quod cum illi (adivi Eremum)⁵⁵ candidè ac simpliciter exposuissem, promptissimo animo ille rem arripuit, locum suum seque mihi obtulit, et alterum suum socium in eandem sententiam pertraxit⁵⁶; adeo hoc videbatur fervide cupere et agere, ut me et literis ad Eremum invitaret saepius⁵⁷ et frequentius adiret, rogando et exhortando, vellem esse eorum Superior, vellem eo loci novam Societatem condere, et^c ad amplectendas leges, quas illi obtuleram^d prospiciendas⁵⁸, imo rigidissimas quasvis paratissimum.

12. - Et ego quidem initio fui pronissimus ad illam occasionem gerendae rei meae arripiendam; sed retrahebant multa, inter alia libertas hominis obediendi ignara, ambitio nescio^e cuius tituli Fundatoris sibi attribuendi, animus inconstans, fama varia, natura fervida, ruditas,

^a *add. "mihi" (R)*

^b *"haberi" (R), sed talis mutatio non est necessaria, quia expressio "tenere intentionem" invenitur apud scriptores latinitatis et hic contextui convenit*

^c *"se" (R)*

^d *ita secundum "R", quia lectio "obtulerim" (P) est hic grammatice erronea*

^e *om. (P), sed videtur quod debeat esse, secundum contextum*

⁵⁴ *Agitur de Stanislaŏ Krajewski, qui ab ca 12 annis in Eremo Korabieviensi, ca 40 km a Lubocz distante, vixit. Cf. Positio, pp. 332-336: Doc. X, 1.*

⁵⁵ *Secundum contextum, P. Papczyński Eremum versus autumnum anni 1672 adivit.*

⁵⁶ *Probabiliter agitur de Simone, Tertiario S. Francisci; cf. infra, §16, in fine.*

⁵⁷ *Hodie non exstant amplius hae epistolae.*

⁵⁸ *"Leges" de quibus hic sermo est, sunt indubitanter "Norma Vitae", quam P. Papczyński probabiliter anno 1672 conscripsit. Cf. Positio, p. 452: Doc. XII, 1, intr., b.*

calliditas, obstinatio, inhabilitas ad omnia, citra diffamationem^a haec dicta sunt.

13. - Quid agerem” Deum exorarem, feci quantum peccata mea patiebantur, sed contraria ab oratione responsa referebam, penitusque inire cum illo homine societatem prohibebar. Viros probatos et^b doctos consulerem” deerant. Unus obvenerat ex Religione Divi Francisci, qui penitus non dissuadebat; alter etiam iussit, qui quondam Cracoviae de hac fundanda Societate a me rogatus, respondit Divinam esse voluntatem, ut hoc opus aggrederer, et Studzianam delatus ad festivitatem Immaculatae Conceptionis in ipso Confessionis actu mihi suggestit, ut irem ad Eremum et iuvante Deo inchoarem aliquid, Deum reliqua omnia perfecturum⁵⁹.

14. - Itaque permisi illum Eremitam habitum formae meae (qualem Divinitus acceperam) assumere, declaravique illum pro Socio in Sacra Nuntiatura, prius tamen accepta^c ab illo oblatione in Societatem Immaculatae Conceptionis BMV^d ad normam eius vivendi⁶⁰, et perseverandi, idque sub iuramento corporali, quod Lubocz[a]e^e in manu mea fecit, quale patet inferius [*cf. infra*, “15]. Ipse tandem Eremum aditurus prius ab Episcopo facultatem ibi mandendi recollectionis causa impetravi, tum celebrandi Missam in privato Oratorio impetrare non potui;

a “infamationem” (R) b “et” (R) c “excepta” (R)

d om. “BMV” (R) e “Lubocz” latine: “Lubocza” , ergo locus ubi: “Luboczae”

⁵⁹ *Secundum contextum, P. Papczyński istam Confessionem Studzianae (est locus distans a Lubocz ca 10 km) probabiliter anno 1672 (die 8 Decembris) fecit. P. Papczyński probabiliter ad Studzianam se contulit ob praesentiam ibi imaginis tauraturgae Beatae Virginis Mariae in ecclesia Patrum Oratorii S. Philippi Nerei. Cf. Positio, p. 679: Doc. XVIII, § 48.*

⁶⁰ *Agitur hic de “Norma Vitae”, quam P. Papczyński probabiliter anno 1672 composuit. Cf. supra, no. 53.*

unde petenda fuit a Nuntio Apostolico, qui non illibenter eam concessit, noviter tum suum munus auspicatus Illustrissimus Dominus Franciscus Bonvisius⁶¹.

15. - Erat autem oblatio Eremitae illius:

^aEgo Ioannes ab Immaculata Conceptione in saeculo dictus Stanislaus Kraiewski filius secundum carnem Bartholomaei Kraiewski et Reginae Krasnopolski, dioecesis Praemisliensis, annorum triginta novem, offero ac dedico Omnipotenti Deo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, ac Deiparae semper Virgini Mariae sine peccato originali Conceptae, cor meum, animam meam, intellectum meum, memoriam, voluntatem, affectus, mentem meam, animum totum, sensus externos et internos, et corpus meum, nihil mihi penitus relinquendo *etc.* ut superius a me forma facta et praescripta⁶². Lubocz[a]e die 4ta Iulii 1673tio.^a

b _ _ b

16. - Eremus Corabieviensis^c sita est inter quatuor oppida Bolemoviense, Mszczonoviense^d, Skierniewicense, Wiskitcense^e vastis-

a-a *om. (R)*

b-b “*Caput Tertium In quo exprimitur ingressus in Eremum Covabieniensem eiusdem Patris [Stanislai a J.M. Papczyński]. Et alia reliqua cum visitatione Perillustris et Reverendissimi Domini Stanslai Świącicki Episcopi Spigacensis et Archidiaconi Varsaviensis postmodum Episcopi Chelmensis et Culmensis*” (P); *om. (R)*

^c “*Korabioviensis*” (R) ^d “*Mszczonor*” (R)

^e “*Niskitcen*” (R)

⁶¹ *Nescimus exacte quando P. Papczyński hanc facultatem ab Nuntio Buonvisi obtinuit et ea non invenitur in libro “gratiarum” a Nuntio concessarum. Buonvisi pro nuntiatura ordinaria in Polonia fuit die 15 Iulii 1673 nominatus, sed nescimus quando de facto hoc officium gerere incepit. Forsitan initio mense Septembris 1673, quia prima “gratia” ab eo die 13 Septembris fuit data. Cf. Positio, p. 363, no. 40.*

⁶² *V. supra, SH, 5.*

sima sane. Huc Anno 1673^a Dominica si bene memini Decima octava post Pentecosten⁶³ sero appuli Lubocza^b onusto curru victualibus et quibusdam reculis meis; non reperi Krajewscium^c, sed Simonem quendam Tertiarium S. Francisci et alterum Organarium cum puero domestico. Simon hic ex Italia venerat, ubi annis circiter quatuor duxerat eremiticam [vitam] ad Sublacum supra Sacrum Specum, vir laboriosus^d, tum^e in hac Eremito hospes, aliter^f habebat animum, et iam habitu Eremitico gaudebat amplectendi Societatem, quam tamen visa strictiore^g observantia deseruit⁶⁴.

17. - Ergo salutatis pro more meo Sanctis, personarum atque locorum Patronis et Tutelaribus cubiculum quod nuper quidam miles Lituanus Ioannes Nowosielski^h dictus extruxerat, et biennio incoluerat poenitentiae causa, mihiⁱ consignaturus erat, cum bono-Deo ingressus, me Divae^j Virgini et Divo Hieronimo, cuius annua memoria recolabatur, impense et humillime commendavi.

18. - Mane summo surrexi, et illos Eremitas ad orationem excitavi venire, sed altera tert[i]aque die conquesti coram Krajewscio^k qui iam redierat se a me compelli ad orandum, cum eodem potius

a "1673." (R) b "Luboczo" (R) c "Kraienskium" (R)

d "laboribus" (R) e "tam" (R) f "alter" (R)

g Ita secundum "R", substituendo lectionem erroneam: "strictiori" (P)

h "Zovosielski" (R) i "mihique" (R) j "B." (R) k "Kravensio" (R)

⁶³ In hoc casu ei memoria fefellit: anno 1673 ista dominica in diem 24 Septembris cecidit, sed in § 17 legitur quod P. Papczyński die quo Divi Hieronimi memoria recolabatur ad Eremum pervenit, i.e. die 30 Septembris, quae illo anno in diem sabbati cecidit; ergo is "sero", i.e. horis vespertinis sabbati prope Dominicam decimam nonam post Pentecosten ad Eremum pervenit.

⁶⁴ Probabiliter haec desertio locum habuit mox post visitationem Eremitae ab Episcopo Świącicki; cf. infra, § 21. "Strictior observantia" est haec, quae ab hoc Episcopo introducta est in Eremum Corabieviensem ope suorum Statutorum, quae ibi vitam vere eremiticam instituere debebant; cf. infra, § 20.

ad^a b laborandum. Animadverti ergo^b homines illos esse nullius orationis, propriae voluntatis, nec studio poenitentiae aut perfectionis Eremum incolere, sed ut laute et^c eleemosynis sustentarentur, quas^d illis^e homines rati quasi Sanctos abunde Krajewscio^f aulas Nobilium circumeunte^g suppeditabant. Quam ob rem statui pedem referre, facta saltem per mensem aliqua re[c]ollectione. Interea tamen explicavi animum Krajewscio, an non cederet mihi et Societati privilegiatum suum locum, quem in alio prato habuit una cum iure omni, et ipse ageret Societatis Procuratorem. Deliberavit diebus aliquot ille, et tandem concessit, cessionemque manu propria scriptam⁶⁵ Actis inseri quibusvis et authenticari voluit. Hoc obtento, iam cogitavi de aliis Sociis ferventioribus, cum quibus^h vitam in[c]hoarem, et Congregationem eo lociⁱ conderem incipiendo a Domo Recollectionis.

19. - Nonⁱ defuit meo proposito supremum auxilium. Siquidem Superna^j Majestas submitit mihi necessarium medium, Virum inquam Illustrem, pium, doctum Reverendissimum Dominum Stanislaum

^a om. "ad" (R)

^{b-b} Ita secundum "R", dum syntaxis in "P": "laborandum animadverti. Ergo" videtur esse omnino erronea.

^c Ita secundum tum "P" et "R", licet tamen praesumere quod in Ms.. originali lectio erat: "ex".

^d " quae" (P; R), sed secundum syntaxim debet esse Accusativus "quas" pronominis pro "eleemosynis" dependens a verbo "suppeditabant".

^e "illi" (R) ^f "Kravenskio" (R)

^g "circumeunti" (P), attamen lectio "circumeunte"(R) preferenda est, quia "suppeditabant" "illis", et non "Krajewscio [...] circumeunti"

^h "quibuscum" (R)

ⁱ⁻ⁱ "conderem. Incipiendo a Domo Recollectionis, non" (R)

^j "Divina" (R)

⁶⁵ Documentum fuit datum die 7 octobris 1673; v. Positio, pp. 336-339 (Doc. X, 2).

Hiacinthum Świącicki^a Episcopum Spigacensem Archidiaconum et Officialem Varsaviensem⁶⁶, qui Archidiaconatum suum visitans, mandatum habuit Episcopi Posnaniensis ut in hanc Eremum descenderet, et quos reperiret Eremitas vel^b certis legibus adstringeret, vel^c inde amoveret, siquidem Sedes Apostolica exceptis approbatis, nullos ferendos esse alios iudicaverit⁶⁷. Et sane mihi^d pientissimus Episcopus aperuerat Interdictum a Se datum pro hoc loco. Verum meo suasu prius voluit per suum Visitatorem intelligere, an animi illorum^e Eremitarum in virtute Societatis vel saltem ad eam propensos esse^e. Quod si in eis nunc^f repertum fuisset, tollerandos iudicaret.

20. - Atque ea causa Visitator adveniens, et tunc Domi non invento Krajewscio^g succensuit. Iam eum volebat cum reliquis indignabundus Eremo excludere, nisi rectius iudicasset probandos homines ad lydiū legum suarum. Itaque praescrisit Statuta quaedam sive Ordinationes ad devotionem et poenitentiam, ad Recollectionem pertinentes⁶⁸, omnesque Eremitas praesentes et si qui vellent alii venire, voluit

a “Strzicki” (R) b om. “vel” (R) c om. “vel” (R) d add. “ipse” (R)
 e-e “Eremitarum censerit in virtute Societatis [sic] vel saltem ad eam propensi?”
 (R) f om. “nunc” (R) g “Krajeuskio” (R)

⁶⁶ Stanislaus Świącicki, natus ca annum 1630, anno 1663 post suam ordinationem episcopalem nominatus est Archidiaconus, et mox postea -Officialis Varsaviensis. His officiis functus est usque ad annum 1677, quando ad dioecesim Chelmensem translatus est (cuius Ordinarius anno 1675/76 nominatus est). Cf. Positio, p. 366, no.47.

⁶⁷ Cf. “Norma Vitae”, Praefatio Informativa, n. 2, in: Positio, pp. 460-461 (Doc. XII, 1).

⁶⁸ Haec Statuta seu Ordinationes inveniri possunt in Actibus dictae Visitationis quae sic inscribuntur: “1673 die 24 Octobris Decanatus Mszczonoviensis. Oratorium Beatae Virginis Mariae sine macula conceptae in Eremo Korabieviensi et Domus Recollectionis Clericorum eiusdem tituli”. Cf. Positio, pp. 341-345 (Doc. X, 3).

obedientiae iuramento Sedi Ordinariae adstringi, et eiusdem vigore^a servandas Ordinationes compelli. Me facta Recollectione alio rediturum praeesse illis voluit, data sua omni in eos potestate.

21. - Obstupuere illi, et legibus non admissis, ex Eremo potius migravere. Krajewscius^b solus permansit^c, et interea coram saecularibus me incusabat. Simulabat praeterea observantiae studium, re ipsa Domi forisque vivebat ut volebat, intemperans, inobediens, exlex, et mihi et Episcopo rebellis, carpebat ubique actiones meas, et tandem per illos suos Conscios^d nimiae^e severitatis me accusavit apud eundem Visitatorem et vagationis, cum eo non sine debita facultate coactus fuero Cracoviam, et alio progredi⁶⁹. Innitebatur etenim^f improborum patrocinio, et sui Consanguinei viri alias gravis Canonici Gnesnensis^{g70}.

22. - Verum ego fretus ope Divina hominem fraudulentum et versipellem citavi ad Visitatorem⁷¹, utque iuramentum emitteret vivendi iuxta leges datas; adeg^h. Et iam ibat crucem adoraturus, in manibus Visitoris iuraturus. Ego tamen inconstantia hominis praevisa exclamavi ne faceret, brevi periurium admissurus, probaret virtutem potius tres hebdomadas, tunc denique iuraret.

a “rigorem” (P), sed lectio “R” est hic praeferenda

b “Krajeuskus” (R) c “remansit” (R) d “Consocios” (R)

e “nimiam” (R) f “nimirum” (R)

g “Epnesnensis” (R) h “id egi” (R)

⁶⁹ Sermo hic est probabiliter de eius itinere anno 1774 Cracoviam, ubi typis dedit suum opus “Templum Dei Mysticum”, quod anno 1775 ibi apparuit (cf. *Fontes Historiae Marianorum*, n. 5: Prooemium, p. LX). Sub “alio” intelligi debet probabiliter Podegrodzie. Cf. *Positio*, p. 367, no. 51.

⁷⁰ Iste Canonicus di Gniezno (ab anno 1666) habuit idem nomen: Stanislaus Krajewski. Cf. *Positio*, p. 367, no. 52.

⁷¹ Haec citatio facta est probabiliter tempore visitationis canonicae Ep. Świącicki anno 1674.

23. - O bonum Deum! quae illius erat hoc tempore observantia^a, pudet referre. Sum equidem^b ipse fragilis et ingemisco haec adnotans; nescio an gratia, an odio sum dignus, tamen vereor impingere, si palam defendam vel excusem, quod palam male agitur. Dominus nos illuminet, ignoscat, dirigat, deinceps in via mandatorum suorum.

24. - Mihi certe et Visitatoris cordi adventus fuit, et Leges ab eo datas (quamvis iam habuerim vitae normam mihi praescriptam, a Patribus^c Spiritualibus probatam⁷²) laeto animo suscepi, servareque intendo^d. Licet enim ex parte aliqua rigidissimae videantur, nihil tamen spirans, nisi animae meae salutem, quam utique quilibet omnibus rebus anteponeere debet, et nihil pro ea, tametsi durissimum non agere. Det nobis Divina bonitas constans huius rei studium et in eo perseverantiam pro gloria sua, ut quos pretiosissimo Sanguine suo redemit, non pereat ex eis quisquam. Amen.⁷³

a “observatio” (P), sed lectio “R” videtur magis fidanda

b “quidem” (R) c “Patribusque” (R)

d “contendo” (R)

⁷² Sermo hic est de “Norma Vitae”, quae in hac prima versione ignota est nobis, sed quasi certe cum aliquibus mutationibus anno 1687 typis data est. Nescimus qui erant hi “Patres Spirituales”, qui “Normam Vitae” originalem approbaverunt. Cf. Positio, pp. 452-453 (Doc. XII, 1, intr., b).

⁷³ In Libro “Protocollis” sequitur hic Cap. IV intitulatum: “Oratorium Beatae Virginis Mariae sine macula Conceptae in Eremo Corabieviensi et Domus Recollectionis Clericorum eiusdem tituli”, quod continet Actus Visitationis Ep. St. Święcicki (ubi pro “Eremitis Marianis” praescribuntur Statuta seu Ordinationes). Vide: Positio, pp. 339-345 (Doc. X, 3).

Textus proprius FDR resumitur in Protocollis Cap. V intitulo: “Decretum erigendi Domus Recollectionis cum cessione Kraiewsciana”. Qui textus in nostra editione in § 25 incipit.

25. - Postquam perspexi Reverendissimum Dominum Visitatorem non exiguo zelo desiderare, ut in hac Eremitarum more viveretur, adieci animum ad eius desiderium conficiendum Domumque Recollectionis, hic cum Oratorio Immaculatae Conceptionis et Sancti Michaelis Archangeli erigere decrevi, ita ut meas leges cum eius Ordinationibus conformarem, tum quod deceret Superiorem Eremitarum in norma iis praescripta recte procedere, tum quod omnia in eis essent accomodata meis circa Domum Recollectionis informationibus quibusdam exceptis, quae mihi videbantur metam discretionis excedere.

26. - Contuli igitur me Varsaviam, et in primis cessionem Kraiewscianam roborari petii⁷⁴, deinde literas ut dicitur Cride expediri⁷⁵, quatenus iure legitime, non per fenestram, sed per ianuam in rem ipsam intrarem; nec leges Ecclesiae circa tales Erectiones observari solitas transilirem. Si autem non servatis servandis voluissem aliquid in fundanda Congregatione agere, iam et Domos aliquot et socios sexcentos per hoc biennium⁷⁶ habuissem. Sed maxime hoc in meis desideriis licet piis et salutaribus praecaveo, ne quid contra receptum usum aut praescriptum Ecclesiae sciens volensque aggrediar. Unde et ipsa Divina majestas meis coeptis benedicit: nam et decretum facile obtinui erigendae Domus Recollectionis, et difficultates quae me premebant aliunde Deus ipse submovit.⁷⁷

⁷⁴ *Cessio Kraiewsciana fuit "roborata" non die 7 Octobris (uti erronee est adnotatum), sed die 27 Octobris 1673 (cf. Positio, p. 336, no. 2). E quo patet quod P. Papczyński se Varsaviam contulit probabiliter mox post Visitationem Eremitarum (quae locum die 24 Octobris 1673 habuit).*

⁷⁵ *Hoc documentum non exstat hodie nec in exemplari.*

⁷⁶ *Verba "per hoc biennium" intelligenda sunt: annis 1674-1675. Cf. Positio, pp. 351-352 (Doc. X, 5, intr., 3).*

⁷⁷ *In Protocollo evidenter ab eius editore adiuncta sunt hic duo documenta: "Talis enim est et cessionis Kraiewscianae et decreti Consistorialis forma".*

8.

Litterae ad P. Alexium Armini, S.P.

Neo-Jerosolymae, 23 Martii 1688.

a. **Is cui epistula est data.**- In dictis litteris non est indicatum nomen personae cui haec epistula est data. Attamen titulus quo P. Papczyński ad hanc personam se dirigit: “Reverendissima Paternitas Vestra” erat tunc in Instituto Scholarum Piarum Praeposito Generali proprius. Indubitanter ergo has litteras P. Papczyński ad Praepositum Generalem scripsit¹. Et nominatim ad P. Alexium Armini, S.P. (*LAA*), qui ab anno 1686 ad annum 1692 officio Praepositi Generalis in Scholis Piiis functus est².

Insuper est quasi certum quod problema in *LAA* expositum ut esset ab eo cui epistula est data iudicandum et decidendum solo Praeposito Generali competit.

b. **Problema in *LAA* expositum.** - In *LAA* agitur de problema *personali* P. Stanislai Papczyński, etiamsi eum uti Fundatorem et Praepositum Generalem Congregationis Clericorum Marianorum respicit. Nempe a P. Alexio Armini rogat adiutorium in decidenda propria vocatione religiosa: in luce factorum suae vitae praeteritae in utroque Instituto, rogat suum consilium, utrum debeat continuare gubernare Congregationem da se fundatam, vel debeat redire ad Scholas Pias (secundum consilium ei datum a quibusdam sodalibus huius Ordinis).

¹Nullum dubium de hoc habuit P. L. Picanyol, S.P., notus historicus Scholarum Piarum, asserens quod ope huius epistulae P. Stanislai “in Scholas Pias nostrumque Generalem Praepositum effusa devotio filialisque obedientia perbelle ostenduntur”. Cf. *Eph. Cal.* XIV (1945), pp. 29-30, in brevi introductione ad textum harum Litterarum, quae tunc prima vice typis datae sunt.

² Cf. *Positio*, p. 239, no. 12.

Ad intelligendum originem huiusmodi problematis, oportet in mentem revocare statum in quo anno 1688 Congregatio a P. Papczyński fundata se invenit. Post mortem sui magni protectoris, Ep. Stephani Wierzbowski (die 6 Martii 1687), Congregatio non habuit qui eam defenderet contra semper increbrescentes persecutiones. Immo iam antea, tam ab interno tam ab externo, proveniebant conatus eam annihilandi. Nunc autem Congregatio in statu critico se invenit, nam successor episcopi Wierzbowski in sede Posnaniensi, Ep. Ioannes Stanislaus Witwicki, credendo eis qui negabant ius existendi Congregationis Marianorum, iam erat pronus ad eam supprimendam; insuper, ob semper maiorem numerum desertorum Marianorum qui a votis simplicibus a confessariis absolvebantur, P. Papczyński Gorae cum solo socio P. Josepho ab Omnibus Sanctis mansit³.

Tunc in mentem P. Stanislai Papczyński facile dubium se inserire potuit: cum Ordinarius Posnaniensis iamiam suppressere Congregationem Marianorum paratus sit, estne hoc signum voluntatis Divinae quae per auctoritatem ecclesiasticam se revelat” estne verum quod Deus non vult ut Institutum Marianorum continuetur”

P. Papczyński de sua vocatione religiosa nullum dubium habuit, ergo se Deus videbatur res ita ordinare ut in Instituto Marianorum non amplius ei esset possibile existere, tunc reditus ad Scholas Pias videbatur ei uti unica possibilitas rimanendi in statu religioso. Responsio positiva vel negativa ad quaestionem in *LAA* positam, videbatur ei constituere expressionem voluntatis Dei et solutionem dubii circa suam vocationem religiosam.

Non habemus ullam evidentiam documentariam circa responsonem ad dictas Litteras P. Stanislai. Non invenimus ullam annotationem de ea in “Regestum litterarum P. Alexii Armini a Conceptione”⁴. Notandum est tamen quod in dicto “Regesto” sunt solummodo litterae naturae officialis, i.e. respicientes gubernium Ordinis Scholarum Piarum, dum in hoc casu responsio P. Alexii Armini videtur habere rationem potius directionis spiritualis et non tantum gubernii.

³ Cf. *Positio*, pp. 430-431 (Doc. XI, 11, intr.); pp. 504-505 (Doc. XIII, 1, intr.); p. 641 (Doc. XVII, § 39); pp. 673-674 (Doc. XVIII, § 35).

⁴ Cf. AGSP, Reg. Gen. 134.

Ex alia parte, non possumus invenire rationem cur P. Armini decideret non dare ullam responsionem ad *LAA*. P. Armini habuit omnes rationes respondendi ad eas et nostra hypothesis est quod ad eas revera respondit et quod in hac responsione P. Papczyński ab eo obtinuit consilium ut perseveraret in sua vocatione Mariana et faceret omnes conatus ad Congregationem Marianam salvandam. Ex altera parte P. Armini forsitan in hoc consilio prae oculis habuit etiam parvam - objective - possibilitatem recipiendi ad suum Ordinem eos qui hoc Institutum reliquerunt.⁵

Sequendo (hypothetice) consilium ei a P. Armini datum, P. Papczyński non fecit ullam petitionem ut ad Ordinem Scholarum Piarum readmissus esset. Videtur quod responsio data a P. Armini accepta est a P. Papczyński uti expressio voluntatis Divinae, itaque post annum 1688 nullum dubium de perseverando in suo Instituto habuit et omnes conatus fecit ad Congregationem Marianam salvandam.

c. **Textus.** - *LAA* conservantur in Archivo Generali Scholarum Piarum (Romae), in omni probabilitate non in exemplari sed in textu autographo⁶.

Notanda est ratio cur *LAA* in hoc Archivo hucusque conservatae sunt. Nempe hoc debetur facto quod P. Papczyński in eis narrat de apparitione sibi (“visione”) S. Iosephi Calasantii, Fundatoris Scholarum Piarum, qui eum miraculose “tum graviter aegrum repente sanum reddidit” (*infra*, “6). Itaque *LAA* adiunctae sunt documentis “de fama sanctitatis, virtutum et miraculorum” S. Iosephi Calasantii, eo magis quod Romam pervenerunt parum ante absolute Processus “super fama sanctitatis in genere” (30 Iulii 1689)⁷.

⁵ Cf. *Positio*, p. 235 (Doc. VII, B, 1, intr.).

⁶ Sic hunc textum iudicat P. L. Picanyol, S.P., qui describit *LAA* ibi anno 1945 inventam uti “a praefato P. Stanislae Papczyński propria manu exaratam”. Cf. *Eph. Cal.* XIV (1945), p. 29.

⁷ Cf. *Positio*, p. 239, no. 9. Archivista sequentem annotationem Causam Fundatoris respicientem fecit: “Neo Jerosolimae-Gorae - Varsaviae 25 [sic!] Martii 1688. Romam. Stanislaus a J. Ma. Clericorum Recollectorum Praef[atorum?] Fund[ator] ex Apparitione et gratia V.P. Fundatoris etc.”

Iam notatum est quod anno 1945 *LAA* prima vice typis datae sunt in *Eph. Cal.* (cf. *supra*, no. 1). Anno 1969 autographum *LAA* - post annum 1945 in locum ignotum positum - inventum est a P. A. Gawlikowski, S.P.⁸ Propterea anno 1977 tum in *Positione*⁹ tum in hac nostra editione critica possibile erat uti autographo, et non textu anno 1945 a P. L. Picanyol typis dato¹⁰: “E”, qui non semper fideliter textum autographi reproducit. Notandum est quod, sequendo “E”, anno 1960 Navikevičius *LAA* in sua dissertatione typis impressit¹¹.

Ob chartam autographi hodie sat vetustatam, textus *LAA* est ibi in aliqua parte difficilis ad legedum, et in his casibus textus a P. L. Picanyol praesentatus utilis fuit ad aliqua verba legenda.

Divisio textus in 11 paragraphos est nostra.

⁸ Eius praesens locatio est in AGSP: Reg. Cal. 22: “Testimonia miraculorum vel gratiarum”.

⁹ Cf. *Positio*, pp. 237-243 (Doc. VII, B, 2).

¹⁰ *Eph. Cal.* XIV (1945) pp. 29-30.

¹¹ Nav., *Append.* I, pp. 48*-49*.

BD.^a

Reverendissime in Christo Pater,
Pater mihi colendissime.

1. - Licet externe compulsus fuerim ad excedendum e Scholis Piis¹², tamen interne illas, uti meas in Spiritu educatrices, amo, et Reverendissimam Paternitatem vestram meum interne Patrem ac Superiorem agnosco, et humillime veneror. Q[u]amobrem^b eandem praesentibus humillime rogo, ut pro animi tranquillitate mei, et salute, quod Paternitati Vestrae Reverendissimae defero, ac manifesto, per modum internae Reverendissimae P.V. voluntatis equirendae, ita definire, et mihi praescribere velit, sicut Reverendissimae P.V. perfectius et^c divinae Majestati^d acceptius, in Domino videbitur.

2. - Ego ante annos circiter sexdecem (quemadmodum meminisse potest) fui coactus a P. Francisco a J.M. tunc Varsaviensi Rectore et Polonae Provinciae in absentia Provincialis ad Generale Capitulum profecti gubernatore vestes Pauperum Matris Dei, (quas tamdiu post absolutionem externam retinui, donec ad meas Capitulo dicto porrectas¹³ responsum obtinuissem) deposuisse¹⁴.

^a Est probabiliter abbreviatio verbis: "Benedicite"

^b "Quamobrem" (E) ^c "ac" (E)

^d "voluntati" (E)

¹² P. Stanislaus Papczyński absolutus est a votis simplicibus et iuramento perseverantiae in Instituto Scholarum Piarum die 11 Decembris 1670. Cf. Positio, pp. 144-214 (Doc. VI). 247-276 (Doc. VIII).

¹³ Agitur de petitione qua P. Papczyński probabiliter versus finem anni 1670 re-admissionem ad Scholas Pias rogabat. Cf. Positio, p. 219 (Doc. VII, A, 2, intr.).

¹⁴ Cf. Positio, p. 219 (Doc. VII, A, 2, intr.); pp. 227-229 (Doc. VII, A, 5); p. 230-231 (Doc. VII, A, 6, intr.).

3. - Proinde consultis de meo statu Theologis et piis viris, repudiatis Praelaturis amplis et pinguibus mihi oblatis¹⁵, candidi coloris habitum cum facultate Loci Ordinarii et benedictione Nuntii Apostolici assumpsi¹⁶, atque post aliquod temporis intervallum vastae solitudini me abdididi¹⁷, erecta in ea Ecclesiola tituli immaculatae Conceptionis B.V.M. et S. Michaelis, et sociis aliquot adscitis de consensu Ordinarii per decretum obtento.

4. - Hic aliquot annis rigidius exactis¹⁸, evocatus deinde fui Neo-Jerosolymam, vulgo Goram, a pie vita functo Episcopo Posnaniensi¹⁹; quod facilius feci videns ibidem Scholas Pias fundatas²⁰, quarum consilio potuissem in Spiritu uti, ac iuari.

5. - Placuit deinde Episcopo domum Gorenssem Nostram cum Eremitica uniri, et in unam Congregatiunculam coadunari²¹, hanc^a vero legi[bus?]^b muniri²²; cuius etiam me indignum ad vitae tempora Praepositum constituit²³. Fundata haec est in statu Eremitarum

a “*hac*” (E) b “*legi...*” (E)

¹⁵ Cf. *Positio*, p. 359 (Doc. X, 5, § 6); p. 494 (Doc. XII, 5).

¹⁶ Cf. *Positio*, p. 359-360 (Doc. X, 5, §§ 6-7).

¹⁷ P. Papczyński loquitur qui de sua commoratione in Eremo Korabieviensi; Cf. *Positio*, pp. 364-368 (Doc. X, 5, §§ 16-26).

¹⁸ P. Stanislaus in Eremo Corabieviensi commoravit ab anno 1673 ad annum 1677.

¹⁹ Sermo est de Episcopo Stephano Wierzbowski, mortuo die 7 Martii 1687. Cf. *Positio*, p. 381 (Doc. X, 8); pp. 422-423 (Doc. XI, 10).

²⁰ Episcopus Wierzbowski obtulit Scholis Piiis foundationem Gorae (Neo-Jerosolymae) anno 1675. Cf. *Positio*, p. 241, no. 10.

²¹ Cf. *Positio*, p. 396 (Doc. XI, 4, § 5); p. 397 (*ibid.*, § 7).

²² Evidenter est sermo de legibus quae inveniuntur in Prima (1679) et Secunda (1687) Ereptione Congregationis CC. Marianorum; cf. *Positio*, pp. 392-400 (Doc. XI, 4); 420-430 (Doc. XI, 10).

²³ Cf. *Positio*, p. 424 (Doc. XI, 10, § 7).

primi generis ab illo eruditissimo viro Prospero Fagnani, et Lauretto de Franchis, luculentissime et exatissime descripto²⁴, ad iuvandas animas defunctorum fidelium suffragiis carentium, praecipue militum et peste extinctorum: id quod clarius e libello Normae Vitae, quem Reverendissimae P. Vestrae mitto, patere poterit²⁵, si illum pro sua submissione et charitate perlegere dignabitur²⁶. In hac ego Congregatiuncula professionem, qualis forma ad finem primi capituli adiecta est, emisit²⁷.

6. - Et quidem haec omnia egi praemonitus in visione a V.P. Nostro Iosepho Calasanctio a Matre Dei, qui me tum graviter aegrum repente sanum reddidit, ita ut ex domo Sororis meae, post horas circiter ab illa visione quatuor, me itineri longissimo commiserim, et quadraginta miliaria Germanica e Domo Paterna ad eremum confecerim sanus et integer²⁸; quod iam quibusdam Patribus meis Spiritualibus, etiam Instituti Societatis Iesu manifestavi, et Reverendissimae P. Vestrae de mandato mei confessarii revelo, ne gratiam acceptam sub modio detineam.

7. - Scopus vero huius meae Epistolae is est: ut Reverendissima P.V. pro mea interna quiete, stabilitate, et salute animae, perlecto (quod

²⁴ Cf. *Positio*, p. 424 (Doc. XI, 10, § 7); p. 461 (Doc. XII, 1, Praef. Informat., § 2).

²⁵ *Id est clare expressum in documento Erectionis* (cf. *Positio*, p. 395 - Doc. XI, 4, § 2) et in capite primo "De fine et admissione", § 2, "Normae Vitae" (NV); cf. *Positio*, p. 463 (Doc. XII, 1). Evidenter P. Papczyński misit Patri Armini exemplar NV, quae anno 1687 typis data est.

²⁶ *Supponendum est quod P. Armini non solum Litteras sed etiam NV perlegit, de quo facto tamen nullam evidenciam documentariam habemus. Nec invenitur hodie ullum exemplar NV in Archivo vel Bibliotheca Domus Romanae Scholarum Piarum.*

²⁷ Cf. *Positio*, p. 464 (Doc. XII, 1, cap. I, § 6). Probabiliter P. Papczyński hanc professionem votorum religiosorum mox post primam erectionem suae Congregationis anno 1679 emisit, prout de eo legitur in documento *Secundae Erectionis*. Cf. *Positio*, p. 424 (Doc. XI, 10, § 7).

²⁸ *Videtur quod illa "visio" P. Iosephi Calasanctii († 1648) locum habuit Podegrodium anno 1674, quo P. Papczyński ex Eremo Corabieviensi Cracoviam ivit ut "TDM" typis daret, sed hac occasione etiam Podegrodium se contulit. Ad sanitatem miraculose restitutus, potuit iter ca 300 km facile facere redeundo pedester ad Eremum Corabieviensem. Cf. SH, 7: FDR, § 21.*

humillime obsecro) Normae Vitae nostrae libello, dignetur mihi mentem suam, sententiam et voluntatem, absolute quantocius exponere: utrum mihi iam hoc in statu, quem nunc (e Piis Scholis externe liber vigore Brevis Pontificii dimissus, absolute ab Iuramento etc. percepta externa²⁹) profiteor, ad gloriam Dei, honorem sine labe conceptae Virginis, auxilium defunctorum suffragiis carentium, sit in finem vitae, quemadmodum iuravi, perseverandum” an ad meam primam Religionem Matris Dei, quam unice dilexi, diligo, et colo, redeundum: quod aliqui e Nostris Scholarum Piarum suadent?

8. - Ego, mi Reverendissime Pater, Scholas Pias, nec malitiose, nec temere deserui: sed gravissimis persecutionibus adactus³⁰, indulto Apostolico consensu; cessi, solitudini me abdidi, et divina dispositione praesentem statum arripui³¹; paratus in eo perseverare, ut iuravi; paratus ad Scholas Pias redire, si hoc consultius, perfectius, et mihi conducibilis, Reverendissimae P.V. videbitur. Propterea tam candide rem totam exposui, atque^a in tribunali conscientiae non aliter egissem. Tuum erit, Reverendissime Pater, quod senserit in Domino mandare, meum humillime pro Domino Iesu exequi.

a “*atqui*” (E)

²⁹ Haec dimissio e Scholis Piis et absolutio a votis et iuramento locum habuit die 11 Decembris 1670.

³⁰ Cf. *Positio*, pp. 86-143 (Doc. V); 151-188 (Doc. VI, B-D); 252-276 (Doc. VIII).

³¹ Cf. *Positio*, p. 359 (Doc. X, 5, § 6).

9. - Interea amicas mihi^a semper manus exosculor, faventesque plantas amplector. Neo-Jerosolymae ex Caenaculi Domini Eremitoriolo 23 Martii 1688.

Reverendissimae Paternitatis Vestrae
obsequentissimus^b Servus

Stanislaus a J. Maria
Clericorum Recollectorum I[mmaculatae] C[onceptionis]
indignus Praepositus mp.

[Sequitur nota marginalis:]

10. - Peto humiliter responsum ad Rectorem Varsaviensem dirigi, obligatum ne aperiat, sed mihi ad manus fideliter reddat.

11. - P.S. Conducit aestimationi et conservationi multorum in Scholis Piis, ut P. Joachimus Theologiae quondam primus in hac Polona Provincia Professor conservetur, ne praeceps ad Camaldulensem Ordinem Eremitarum transmigret³². Haec pro mea sinceritate, et in Religionem amore.

^a om. "mihi" (E)

^b "obsequentissimus" (E)

³² Agitur hic de P. Ioachimo Goralewicz de Nativitate BVM, S.P., qui ab anno 1686 usque ad autumnum anni 1688 (quando Romam profectus est) residentiam in Domo Scholarum Piarum Gorae (Neo-Jerosolymae) habuit. Anno 1687 hic "instat apud P. Generalem ut sibi concedatur transitus ad PP. Camaldulenses, facile consensum obtinet, sed haeret, non habens benignos receptores". Cf. Positio, p. 243, no. 29.

Litterae ad Marianos in Eremo Corabieviensi

Neo-Jerosolymae, 19 Aprilis 1690

a. **Origo.** - P. Papczyński residentiam habuit ab anno 1677 in Caenaculo Neo-Jerosolymae, attamen uti Praepositus Generalis Congregationis non potuit - ob distantiam - curam personalem de vita religiosa alterius Domus, nempe huius in Eremo Corabieviensi sitae habere. En ratio cur nominavit subdiaconum Ioachimum Kozłowski a S. Anna uti Instructorem “in vero ac solido spiritu et religiosa perfectione, quam in literis humanioribus” et “Theologiae Moralis et Philosophiae exercitationibus”, pro Marianis qui in dicto Eremo commorabantur, specialiter pro iuvenibus pro quibus “virtus et eruditio” erant maximi momenti utpote erant novitii et studentes se ad Ordines Sacros praeparantes.

P. Papczyński in his Litteris explicat rationem huius muneris et hac occasione praescribit certas regulas asceticas et disciplinares, quibus vita religiosa in dicto Eremo - secundum *Normam Vitae* - regi debeat.

b. **Textus.** - Autographum harum Litterarum non amplius extat¹, sicut non amplius extat earum exemplar factum in *Protocollo Ordinis* originali versus annum 1705. Hodie nobis textus harum Litterarum notus est ex exemplari libri *Protocoll*i facti versus annum 1744 (“*Prot.*”)².

Hae Litterae iam typis datae sunt in editione critica in *Positione*³, ex qua provenit divisio huius textus in 11 paragraphos (*a capo*).

1. - Stanislaus a Iesu Maria Congregationis Immaculatae Conceptionis Clericorum Marianorum Defunctis Suffragantium indignus Praepositus. Fratribus in Eremo⁴ salutem et benedictionem.

¹ Est possibile quod hae Litterae erant inter scripta P. Stanislai Papczyński, quae anno 1775 examinationi subiecta sunt Romae, sed postea dispersa sunt. Cf. *Positio*, pp. 483-484 (Doc. XII, 2, *intr.*).

² Cf. *Prot.*, pp. 159-160, in: Arch. priv. Muniak (Cracoviae).

³ Cf. *Positio*, pp. 483-486 (Doc. XII, 2).

2. - Duo sunt splendores quibus sacra vehementer elucent instituta: Virtus et eruditio. Illam Regularis observantia demonstrat, hanc proximorum commendat utilitas. Quocirca Nos Divina dispositione Congregatiunculae Nostrae admoti regimini et obsequiis⁵, in hoc toto studio satagimus incumbere, ut omnes Nostros in Domino Fratres Religiosae vitae disciplina perfecta, et sufficientis scientiae decore conspicuos videamus et habeamus⁶.

3. - Et licet hactenus votis nostris ex integro potiri non potuerimus, tamen adjuvante Domino Deo nostro deinceps Nos id assecuturos minime dubitamus, ac ne deesse quidquam queat, quod munus nostrum officiumque concernit Instructorem vobis tam in vero, ac solido spiritu et Religiosa perfectione, quam in Literis humanioribus [et] Theologiae Moralis et Philosophiae exercitationibus Charissimum in Domino Fratrem Ioachimum a S. Anna Congregationis Nostrae Subdiaconum⁷ ad biennium submittimus, constituimus et ordinamus, confidentes in Dei miserationibus quod sibi demandatum ad meritum obedientiae et Charitatis Spartam^a egregie sit ornaturus.

4. - Proinde sicut eidem serio iniungimus et praecipimus, ut invigilet et assidue et diligentissime observantiae legum nostrarum, rigorosissime, ac Literariis exercitationibus: ita Charitates vestras omnes et sigulas commonemus et per omnia sacra obtestamur, ut illi in utroque

^a *Ad recte in contextu hoc verbum intelligendum: "Unde proverbium [...] "spartam sortitus e, hanc orna" [...] quo significatur, quaecumque sors obtigerit, eam esse ornandam, h.e. ea quemque contentum esse debere" (FLL, IV, 432, s.v. Sparta, ae).*

⁴ *Agitur de Eremo Corabieviensi. Cf. Positio, pp. 332-404 (Doc. X, 1-5).*

⁵ *P. Papczyński verbis "Divina dispositione" se revocat ad documentum Erectionis Congregationis CC. Marianorum in quo Episcopus Stephanus Wierzbowski eum eius Praepositum instituit. Cf. Positio, p. 399 (Doc. XI, 4, §11); p. 424 (Doc. XI, 10, § 7).*

⁶ *P. Papczyński imprimis regulas asceticas pro Marianis in "Norma Vitae" dedit, sed ibi etiam conatum acquirendi eruditionem praescribit; cf. NV, c. VI, nn. 2-3. 5-6; c. VII, n. 5; c. VIII, nn. 2-3.*

⁷ *Eius cognomen erat Kozłowski. Nescimus quando Marianus factus est, sed est notus uti unus ex primis sociis P. Stanisłai Papczyński; cf. Positio, p. 698 (Doc. XVIII, n. 83). Nescimus quando Subdiaconus ordinatus est. Cf. Positio, p. 435 (Doc. XI, 12, § 3).*

impigre, prompte, hilariter, fideliter, humiliter, constanter, perfecte obtemperetis.

5. - Itaque nemo Vestrum deinceps sub excommunicationis poena, absque Nostra expressa licentia ex Eremo prodibit etiam ad vicinos vicos aut benefactores excepto Vicario Nostro⁸ et Eleemosynarum ac Domus Procuratore, quem talem praesentibus declaramus charissimum in Christo Fratrem Andream juniorem⁹.

6. - Nemo se ab oratione tam mentali quam vocali aliisque communibus et consuetis exercitiis nostris ac studiis (nisi legitima aliqua cum scitu Vicarii aut Instructoris actione impediatur) absentabit; ad mensam ordine hebdomadatim, (solo Vicario exempto) Lectioni Sacrae intendant¹⁰. Post mensam illico absoluta Rosarii parte Theologiae [*vacabitis* “]a morali, quae pro arbitrio Instructoris vel ad calamum vobis dictabitur vel ex probatis authoribus perlegatur, semper adhibito examine, quantum quis profecerit¹¹.

7. - Singulis diebus Sabbativis ordine habebunt sermones breves de virtutibus sectandis vitiisque extirpandis, ac vitandis ac de aliis materiis^b salutaribus, quos deinde (si ita videbitur Vicario ac Instructori) die sequenti Dominico in ecclesiola ad altare stantes non ex cathedra repetere ad populum si praesens aderit fructuose poterunt.

^a *In textu (P) hic legitur: “vocaliter”, quod omnino pro erronea transcriptione agnoscendum est* ^b *“materij” (P), sed est alia erronea transcriptio*

⁸ Cf. *Positio*, p. 398 (*Doc. XI, 4, n. 10*), ubi in documento *Erectionis* asseritur quod Praepositus totius Congregationis “in singulis Domibus suos Vicarios habebit”. Hoc officium est quasi idem ac Superioris localis.

⁹ Agitur probabiliter de Andrea de Spot (*Deszpott*) di S. Matthaeo († 1750), quia nescimus de alio socio contemporaneo P. Stanislao cuius nomen esset Andrea. Attamen nescimus annum quo Andrea *Deszpott* professus Marianus factus est et non est nobis notum quasi nullum de sua vita ante mortem P. Stanislai.

¹⁰ Cf. *NV*, c. VI, nn. 2. 6 (*Positio*, pp. 474-475).

¹¹ Cf. *ibid.*, n. 3, ubi tamen praescribuntur Rosarium et Theologiae studium in ordine diverso.

8. - Rubricae Missalis ac Breviarii Romani singulis Dominicis et Festis post meridianam refectionem legentur¹². Norma vitae, Sacrae Litterae, Speculum parvum Religiosorum¹³, Exemplorum Liber et piorum SS. Coadiutorum, tum de imitatione Christi, quotidie silentibus universis, nec unquam hoc silentium Vicario dispensante in mensa meridiana et vespertina ad Instructionem spiritus et profectum in virtutibus distincte perlegentur¹⁴.

9. - Sacrum diebus Dominicis et Festivis cantabitur more nostro. Litaniae vero Lauretanae, aut de Nomine Iesu in ferialibus tempore lectae Missae ab omnibus recitabuntur pro nostra Congregatione.

10. - Communis flagellatio, quam vulgo disciplinam vocant, feria secunda, quarta et sexta in communi per Psalmum Miserere et De profundis habebitur, privatim quotidie surgendo et decumbendo pie recommendamus¹⁵. Exercitium manuale tametsi brevissimum nunquam intermittetur.

11. - Denique omnibus vobis amorem in Deum, devotionem in Virginem Electissimam et SS. Patronos, mutuam Charitatem, pacem, concordiam, votorum Sanctorum custodiam, studium ferventis orationis et solidae mortificationis, humilitatem, patientiam, gratitudinem, et in Sancta vocatione cum adiutorio Dei perseverantiam ardentem commendamus, atque vestris orationibus me miserum senem Domino Deo iugiter commendare non intermittatis vehementer obsecramus.

Datum in Caenaculo Domini Neoierosolymitano. Die 19 Aprilis 1690.

Locus Sigilli.

Indignus Servus vester in Domino
Stanislaus a Iesu Maria mpp.

¹² Cf. *ibid.*

¹³ Agitur de libro sub hoc titulo Cracoviae typis anno 1689 dato editore F. Ferdinando Ohm, alias Januszowski, O.P. Cf. *Positio*, p. 485, no. 12.

¹⁴ Cf. *NV*, c. VI, nn. 2. 5 (*Positio*, pp. 474-475).

¹⁵ Cf. *NV*, c. IV, n. 6 (*Positio*, p. 471).

Litterae ad Ordinem Fratrum Minorum

[Romae, III/IV ? 1691]

a. **Origo et Auctor.** - Litterae directae ad Ordinem Fratrum Minorum connexae sunt cum conatu suscepto a P. Stanislao Papczyński, uti Fundatore et Praeposito Generali Congregationis Clericorum Immaculatae Conceptionis, obtinendi approbationem pontificiam sui Instituti. Hoc enim videbatur unicum medium salvandi id ab extinctione, obtinendo pro Marianis vota solemnia (quae uti talia impedire valebant desertionem sodalium cum solo vinculo votorum simplicium) et procurando eis dependentiam directam a Sancta Sede (quae tollit Ordinario loci facultatem suppressendi Congregationem a se erectam uti Institutum dioecesanum)¹.

Ad approbationem sui Instituti obtinendam, P. Papczyński fecit iter e Polonia Romam, proficiscendo e Caenaculo Domini probabiliter mense Novembre anno 1690². Cum Subdiacono Ioachimo Kozłowski a S. Anna uti socio, Romam pervenit probabiliter versus medietatem Februarii 1691, ergo iam post mortem Alexandri VIII († 1 II 1991). Debuit in Poloniam redire (ob statum suae salutis) ante electionem Innocentii XII (12 VII 1691), ac proinde - "sede vacante" - non erat ei possibile praesentare negotium approbationis ad decisionem Summi Pontificis.

Videtur quod non fecit conatum petendi approbationem pontificiam cum *Norma Vitae* sicut Regula novi Ordinis, quia hoc vietatum erat in decreto Concilii Lateranensis IV (1215). Patebat tamen ei alia via obtinendi approbationem pontificiam: acceptatio Regulae iam ab Ecclesia approbatae. Et vide-

¹ Cf. *Positio*, pp. 504-505 (Doc. XIII, *intr.*), ubi sermo est de tali periculo super Congregationem Marianorum incumbente.

² Hoc probabiliter fecit mox post procurandam Cessionem Caenaculi Domini (Gorae) suis sociis Marianis die 30 Octobris 1690. Cf. *Positio*, pp. 433-436 (Doc. XI, 12).

tur quod versus mensem Martium vel Aprilem 1691 P. Papczyński ad talem decisionem pervenit: erat paratus acceptare Regulam Ordinis monialium Immaculatae Conceptionis cui suum Institutum esset iuridice incorporatum³.

Tale propositum debuit obtinere consensum Ordinis Fratrum Minorum, quia Ordo monialium Immaculatae Conceptionis ab eis iuridice dependebat. En ratio cur praesentes Litteras Supplicatorias ad Ordinem PP. Franciscanum scripsit.

Est p. Papczyński **auctor** harum Litterarum? Petitio est redacta et formulata in modo non personali, sed comunitario; hinc in fine invenimus subscriptionem: "Clerici Mariani". Proinde non habemus certitudinem absolutam quod est scriptum P. Stanislai Papczyński. Qui tamen uti Fundator et Praepositus Generalis sui Instituti habuit ius praesentare talem petitionem nomine suorum sociorum. Datur insuper testimonium in quo asseritur quod P. Papczyński "personaliter in Almam Urbem veniens [...] instantissime supplicavit ut eum cum Sociis Universis..."⁴.

b. **Textus.** - Exemplar Litterarum in *Protocollo* non indicat locum nec datum earum compositionis. Quod eas Romae scripsit, et ante diem 20 Aprilis 1691, patet ex documento supra indicato.

Non erat possibile invenire autographum harum Litterarum. Nec exstat hodie earum exemplar in libro *Protocolli* (1705) sub titulo: "Litterae Supplicatoriae ad Ordinem Minorum", hinc eius textus notus est nobis solummodo ex exemplari *Protocolli* originalis (1744)⁵.

Litterae typis sunt datae anno 1977 in editione critica in *Positione*⁶, ex qua provenit divisio earum textus in hac editione in 4 paragraphos.

³ Cf. *Positio*, p. 506, no. 3, ubi inveniri potest informatio circa hunc Ordinem monialium. P. Stanislaus sperabat quod erit facile adaptare eius Regulam pro suo Instituto in quantum eiusdem naturae Marianae.

⁴ Cf. *Positio*, p. 510 (Doc. XIII, 2a), in documento dato Romae a Fra Carolo Francisco de Varesio, Commissario Generale, die 20 Aprilis 1691.

⁵ Cf. *Prot.*, pp. 137-138, in: Arch. priv. Muniak (Cracoviae).

⁶ Cf. *Positio*, 505-508 (Doc. XIII, 1).

[Literae Supplicatoriae ad Ordinem Minorum]

Reverendissimi in Christo Patres
Domini et Patroni Colendissimi.

1. - Quando quidem Sacer Ordo Monialium Immaculatae Conceptionis a Iulio Papa Secundo^a approbatus, aliisque Romanis Pontificibus multis privilegiis, gratiis, indultis cumulatus sub Vestri Seraphici Ordinis iurisdictione et regimine existens magna Sanctitatis et perfectionis fama floreat⁷, parvula quoque nostra Immaculatae Conceptionis Congregatio ad iuvandas animas Fidelium Defunctorum Suffragiis carentium in Regno Poloniae ab Episcopo Posnaniensi, Nominato Archiepiscopo Gnesnensi Stephano Wierzbowio canonice erecta⁸, a Serenissimo Rege et Republica in perpetuam protectionem suscepta⁹, a Sanctae recordationis Innocentio XI certis Indulgentiis et Confraternitate dotata¹⁰, studio majoris perfectionis et stabilitatis perpetuae incitata.

2. - Ad Vestrae pietatis et sanctimoniae sinum recurrit humillime supplicans, ut eam dicto sacri Ordini Immaculatae Conceptionis incorporare, in protectionem et directionem immediatam Reverendissimi Patris Ministri Generalis, vel Eius Commissarii, admittere, communicatione Privilegiorum, Indultorum et Indulgentiarum, exornare non deignemini prout meliori et solidiori modo id facere velitis et valeatis.

a “Undecimo” (P), sed numerus antiquus “II” est erronee lectus uti numerus vulgaris “11”.

⁷ Cf. *Positio*, p. 508, no. 1.

⁸ Cf. *Positio*, pp. 392-400 (Doc. XI, 4): *Prima Erectio* (1679); *ibid.*, pp. 420-430 (Doc. XI, 10): *documentum Secundae Erectionis* (1687).

⁹ Cf. *Positio*, pp. 376-378 (Doc. X, 7)

¹⁰ Cf. *Positio*, pp. 404-409 (Doc. XI, 6).

3. - desiderans praeterea et hoc enixe petens, ut aliquot zelo Immaculatae Conceptionis ardentibus, singulari sapientia praeditos Viros e medio Religiosissimi Consensus Vestri deputetis, qui normam vitae nostrae¹¹, iam a Reverendissimo Patre Commissario anteacto¹² in quibusdam emendatam¹³ melius discutiant, corrigant, et Sacro Ordini Immaculatae Conceptionis accomodent, salvo habitu et fine Nostro salvandi animas defunctorum et electione libera Praepositi Nostri a Reverendissimo Patre Ministro Generali Seraphici Ordinis Vestri vel Eius Commissario confirmandi.

4. - Quae omnia si nobis concessa fuerint, benigne a Sanctissima Sede Apostolica confirmari diligenti studio contendemus¹⁴.

Reverendissimarum Paternitatum ac Dominationum Vestrarum

Servi humillimi

Clerici Mariani Immaculatae Conceptionis Poloni.

¹¹ Evidenter est "Norma Vitae" typis anno 1687 impressa. Cf. Positio, pp. 455-456 (Doc. XII, 1, intr., g).

¹² Cf. Positio, p. 508, no. 6.

¹³ Cf. *ibid.*, no. 7.

¹⁴ Utpote non fuit obtenta incorporatio Instituti Marianorum ad Ordinem monialium Immaculatae Conceptionis, videtur quod non facta est accomodatio Normae Vitae ad eius Regulam, nec conatus factus obtinendi confirmationem tali incorporationis a Sancta Sede. Probabiliter maius impedimentum ad incorporationem Congregationis Marianorum ad Ordinem Immaculatae Conceptionis erat factum, quod eius Regula non fuit accomodata ad Instituta Religiosa virorum.

Testamentum Primum

Neo-Jerosolymae, 9 Decembris 1692

a. **Origo.** - Informationem de origine Testamenti, quod P. Papczyński anno 1692 conscripsit, habemus solummodo a p. Casimiro Wyszyński, qui in sua biographia-vita Fundatoris (*VW*) textum huius Testamenti includens in nota introductoria scribit quod “Venerabilis Servus Dei Pater Stanislaus a Iesu Maria, [...] laboribus pro Gloria Dei et Honore Dei Genitricis Mariae in suffragio Anmarum exhaustus, senex iam existens, A.D. 1692 infirmare caepit graviter; putansque hanc ultimam esse suam infirmitatem, [...] tale fecit testamentum, quod sua propria manu scripsit?”¹.

Haec praevisio non verificata est, nam ad bonam salutem P. Papczyński reversus est; nescimus quando, sed iam sanus debuit esse die 28 Augusti 1693, quia tunc litteras testimoniales ab Episcopo Nicolao Popławski obtinuit pro sua proxima peregrinatione ad “loca sacra miraculis et indulgentiis celeberrima”².

Infirmitate superata, P. Papczyński “hoc Testamentum obsigillavit, et desuper superscripsit inhibitionem ne aperiretur, neque ab alio legeretur, nisi post mortem eius”³.

b. **Textus.** - Hodie autographum huius Testamenti non amplius exstat. Versus annum 1752/1753 P. Wyszyński, tunc Romae residens, obtinuit e Polonia exemplar huius autographi, quod etiam non amplius exstat. P. Wyszyński textum huius Testamenti, iam in Lusitania degens, in “Vitam S.D. Ven. Patris Stanislai a Iesu Maria” a se ibi conscriptam inclusit. Manuscriptum originale huius “Vitae” (*VW*) non amplius exstat. Proinde hodie textus Primi

¹ *VW*, § 85.

² Cf. *Positio*, pp. 564-566 (Doc. XIV, 2,b).

³ *VW*, § 86, in: *Positio*, p. 701 (Doc. XVIII). Notandum est quod P. Papczyński Testamentum Alterum annis 1699/1701 conscripsit. Cf. *infra*, SH,14.

Testamenti notus est nobis solummodo ex exemplari authentico huius “Vitae” anno 1772 confecto⁴.

Attamen notandum est quod existit etiam versio in linguam lusitanam ex manuscripto originali “Vitae”, anno 1757 typis data⁵: “Teix.”. Haec versio inventa est hic praesertim utilis ad corrigendum “calami lapsus” in textu a nobis hic praesentato (cf. *infra*, no. “a-a”).

Testamentum Primum in lingua originali latina iam antea typis datum est (in editione critica) in *Positione*⁶, ex qua provenit nostra divisio textus in 12 paragraphos.

⁴ In fine huius exemplaris legitur sequens annotatio: “Concordat cum suo originali manu scripto V.P. Casimiri a S. Josepho, quod in processu informativo reproductum fuit. Ita attestor Ego Antonius Ribeyro Rosha Notarius Ecclesiasticus, qui et Actuarius fui in dicto processu. Chacim, Die 18 Novembris an. 1772”.

Hoc exemplar *VW* est locatum hodie Romae, in Archivo Postulationis Generalis Congregationis CC. Marianorum (APost MIC): C. Wyszynski, *Vita* (Ms.), et textus Testamenti Primi invenitur in eius § 85.

⁵ TEIXEIRA, João Coelho de S. Paio, “Vida do Veneravel Servo de Deos, o Padre Estanislão de Jesus Maria, Fundador da Congregaçam e Ordem dos Religiosos da Immaculada Conceição da Beatissima Virgem Maria, [...]”, (Teix.), Lisboa 1757.

⁶ Cf. *Positio*, pp. 486-489 (Doc.XII, 3).

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

1. - Ego indignus Sacerdos, et maximus peccator, Stanislaus a Iesu Maria, supremum diem omnibus incertum, quotidie expectans, definitum a Domino vitae et mortis, cum humili gratiarum actione suscepturus, quoniam testari, exutus mea propria voluntate per votum obedientiae non possim⁷, protestari coram Pientissima et Sanctissima Trinitate, Virgineque Electissima, et tota Curia Caelesti, omnique creatura aggredior.

2. - Quia ego natus et educatus in Fide Catholica Romana, in eadem morior, credendo quidquid Sancta Mater Ecclesia credit, et ad credendum praecipit, et credendum (atque hoc per fidei meritum) deinceps praecipiet. Cui si quando aliquid inconsiderate cogitavi, vel dixi, vel scripsi contrarium, revoco, imo incogitatum, indictum, non scriptum, esse volo.

3. - Gratias ago Divinae Majestati pro gratiis, favoribus, donis, beneficiis in me largissime profusis, doleo vero ex intimo corde, et dolere volo quam perfectissime, ex amore Eius, de meis peccatis, quae omnia in salutiferis vulneribus Domini ac Redemptoris mei Iesu Christi demergo.

4. - Substerno me pedibus Electissimae Virginis Dei Genitricis Mariae cum tota Eius Immaculatae Conceptionis nostra Congregatiuncula tota aeternitate, implorans clementiam, intercessionem, directionem, protectionem efficacissimam, et in mortis articulo, ab insidiis inimicorum, ad mei pientissimam et potentissimam defensionem, omnique malo temporali et aeterno, maxime paenarum mihi debitarum, liberationem, implorans veniam, misericordiam, gratiam, indulgenti-

⁷ Cf. *Positio*, p. 487, no. 1, ubi explanatio data est, quod P. Papczyński non potuit testamentum condere seu testari uti Eremita primi generis, secundum Erectionem Alteram ex anno 1687. Cf. *ibid.*, p. 424, § 7.

amque plenariam, et vitam per Eius Filii mortem acerbissimam, per Eius Ipsiusque dolores acerbissimos sempiternam, et Sanctorum Communionem beatificam.

5. - Quoniam vero cum multis conversari debui, et multos potui laedere, irritare, exacerbare, idcirco deprecor omnes, et singulos, praecipue quos aliquando scandalizavi, aggravavi, aut inique perturbavi, [^aut mihi ignoscant^a]; omnibus pariter ignosco, etiam illis qui me post mortem lacescent, et optimum Numen illis placatissimum exopto, et exoro.

6. - Rerum nullam dispositionem facio, quia voluntarius pauper, nullas habeo, omnia siquidem habui in communi et ex communi⁸, omnia etiam communitati relinquo, attamen scripta mea ut comburantur (quia indigna lectu, et nullius fructus sunt) desidero, iniungere nemini audeo⁹; quia ut externe sic interne sum nudus.

7. - Illustrissimo vero ac Reverendissimo Domino Episcopo meo, quod me in sua dioecesi toleraverit¹⁰, Deus sit propitius, sicut et Antecessori, qui multa mihi benefecit¹¹ factus et remunerator, et glorificator; imo omnibus, qui hanc Immaculatae Conceptionis Congregatiunculam, ad auxilium Fidelium Defunctorum a Deo excitatam, complexi fuerint, et protexerint, promitto de manu Dei duplicia, persecutoribus, ut iam probarunt est parata castigatio: Clientes Beatissimae Virginis Mariae tangere periculosum est¹².

8. - Fratribus meis in Christo dilectissimis Charitatem in Deum, et proximum, unionem animorum, humilitatem, patientiam, sobrietatem, modestiam, suae vocationis fidelem executionem, et in ea constantem

⁸ Ita secundum NV, c. III, n. 2.

⁹ Non invenimus hoc desiderium expressum in eius Testamento Altero.

¹⁰ Agitur hic de Ep. Ioanne Stanislawo Witwicki, Ordinario Posnaniensi (1687-1698).

¹¹ Agitur hic de Ep. Stephano Wierzbowski († 1687).

¹² Cf. Positio, pp. 696-698: VW, §§ 80-82.

perseverantiam, solidum sine labe Conceptae Virginis cultum, ferventem Defunctis opitulationem, regularem observantiam, religiosam disciplinam et perfectionem, et semper ferventiorum spiritum, maxime et instantissime, recomendo; meminerint his, quae Deo et Virgini Electissimae voverunt, certissimam et infallibilem sibi mercedem esse repositam.

9. - Ante omnia pacem et concordiam, et mutuam dilectionem inter vos vigere, dilectissimi mei, volo¹³; alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi¹⁴. Deus pacis et dilectionis vos custodiat, gubernet, munit, salvet in aeternum. Cui in Trinitate uni, aeterna sit gloria, honor, magnificatio, et in seipso, ac Verbo Incarnato, ac in Electis omnibus suavissima complacentia, ac maxime in Eius Electissima Virgine Parente, Matre misericordiarum, unica spe et refugio peccatorum omnium, et meo. Amen.

10. - O Deus^a, o Bonitas, o infinita Potestas, ut potes, ut nosti, ut vis miserere mei Stanislai a Iesu Maria indignissimi Sacerdotis, Servi nequam, maximi peccatoris mpp.

11. - Haec scripsi manu propria in cellula mihi a Deo Benignissimo concessa, paenes Caenaculum Domini. Die 9. decembris Anno Domini 1692. Neojerosolymae.

a "O" *Jesus*" (Teix.)

¹³ Cf. *NV*, c. II, n. 4, ubi summum momentum mutuae charitatis exprimitur verbis: "Cogitet quisque animam esse Instituti sui charitatem, a qua quantum recederet, tantum a vita".

¹⁴ Cf. *Gal* 6, 2.

12. - Debita nulla relinquo, nisi unicum quod omnibus debere me fateor, praecipue Religiosissimis huius oppidi civitatis personis ac Praesbiteris [*Instituti Clericorum*] in communi viventium^{a15}, incolis, benefactoribus, amicis et inimicis, et hoc est gratitudinis, quod per submissam gratiarum actionem eis exsolvo, quorum sanctis suffragiis me commendo, et meos¹⁶ benevolentiae et protectioni.

^a *Riconoscendo lectionem "viventium" uti authenticam, eam conatus sum iustificare supponendo omissionem "Instituti Clericorum", secundum titulum huius Instituti qui includit verba: "in communi viventium" (v. infra, no. 14). Alioquin debemus agnoscere lectionem "viventium" uti erroneam, corrigendo eam in "viventibus".*

(NB: in Testamento Altero P. Papczyński gratias agit "Adm Reverendis Dominis Clericis in Communi viventibus"; cf. infra, SH, 14, "8).

¹⁵ *Agitur de Instituto fundato anno 1640 a Bartolomeo Holzhauser, ac proinde vocato: "Bartolomiti" (sed eius titulus erat: "Institutum clericorum saecularium in communi viventium"); cf. ECat II, 932-933; M.J. Hufnagel, "Bartholomaer" in: LThK II, 8. Bartolomiti anno 1683 ab ep. Stephano Wierzbowski foundationem Neo-jerosolimae obtinuerunt. Cf. Positio, p. 439, no. 6.*

¹⁶ *Sub "meos" indicat suos socios et filios spirituales Marianos, praesertim in Caenaculo Domini residentes.*

Litterae ad Marianos

Neo-Jerosolymae, 16 Aprilis 1695.

a. **Origo.** - In nullo documento vel scripto (P. Stanislai vel aliorum) invenimus mentionem de his Litteris. Uti ex ipsis contentis patet, est exhortatio ad obedientiam Patri Ioachimo a S. Anna Kozłowski, utpote “electum” Vicarium et Successorem ipsius P. Fundatoris. Videtur proinde quod parum antea Capitulum Generale celebratum est, in quo talis “electio” a delegatis Domorum (“a vobis”) facta est. Nullam confirmationem documentariam de hac electione habemus, quia hodie non extat ullum protocollum ex actibus talis Capituli.

Cur P. Papczyński uti Praepositus Generalis Congregationis tunc debuit Vicarium habere” Videtur quod ob vires decrecentes putavit se non fuisse capacem solus gubernare Congregationem, ac proinde proposuit Capitulo electionem “Vicarii”, qui eum adiuvaret quando et ubi ipse non potuit “ubique et semper” suis sociis “adesse tam bonis exemplis, quam salutaribus instructionibus [...] ad perfectionem unumquemque” excitandus (cf. *infra*, “3”).

Cur autem Ioachimus a S. Anna etiam “Successor” P. Stanislai electus est” Videtur quod talis electio prae oculis habuit convenientem continuationem gubernii Congregationis in casu subinateae mortis Fundatoris et Praepositi. Notandum est quod in Testamento Altero P. Papczyński P. Ioachimum Successorem suum declaravit (cf. *infra*, SH, 14, “10”).

b. **Textus.** - Autographum harum Litterarum hodie non amplius extat. Textus earum unice inveniri potest in exemplari libri *Protocoll* ex anno 1744¹.

Litterae typis datae sunt in *Positione*², ubi textus - sicut in editione nostra - divisus est in 5 paragraphos.

¹ Cf. *Prot.*, pp. 160-161, in Arch. priv. Muniak (Cracoviae).

² *Positio*, pp. 489-491 (Doc. XII, 4).

1. - Stanislaus a Iesu Maria Congregationis Immaculatae Conceptionis Clericorum Marianorum Defunctis Suffragantium indignus Praepositus. Fratribus in Eremo et Caenaculo Domini Salutem.

2. - Continuo de Vestra Salute et Congregationis bono solliciti ea media tam huius promovendi, quam illius Divina gratia consequendae quaerimus et adhibemus, quibus et nobis apud Deum meritum, et vobis iustam bonorum operum retributionem eo miserante comparemus et obtineamus.

3. - Itaque ferventius et diligentius ut omnes viam mandatorum Domini decurramus praeter auxilia Superna etiam circumspectionis nostrae stimulos ad id necessarios esse praevidentes, cum non possimus ipsi ubique et semper vobis adesse tam bonis exemplis, quam salutaribus instructionibus (licet simus inter vos vilissimi et minus idonei) ad perfectionem unumquemque excitandi, propterea in partem sollicitudinis et muneris istius dilectissimum Nobis in Christo Fratrem Ioachimum a S. Anna³ alias a vobis electum Nostrum Vicarium et Successorem, assumentes omnes et singulos ex Vobis requirimus et in Domino obtestamur, ut eius piis adhortationibus et iustis mandatis ac quibusvis ordinationibus nostris tamen non contravenientibus, quae in primis gloriam Dei, deinde Vestrarum animarum salutem, ac in virtutibus profectum, tum bonum Congregationis concernunt, in omnibus candide et simpliciter pareatis, uti communicatam ad hoc et delegatam a Nobis potestatem (excepta promissione[!]^a ad Ordines, et incorrigibilium eiectione, ac Superiorum Localium institutione) habenti.

³ Cf. *supra*, SH, 9, § 3, ubi anno 1690 Ioachimum a S. Anna Kozłowski (n. 1658), subdiaconum, P. Papczyński "Instructorem" pro Fratribus in Eremo Korabieviensi nominat.

Is anno 1691, adhuc subdiaconus, erat socius P. Stanislai in suo itinere Romano; cf. *Positio*, pp. 445-446 (Doc. XI, 14, a, §2; b, § 2). In Poloniam reversus, Ioachimus a S. Anna Kozłowski versus finem anni 1691 diaconus et sacerdos ordinatus est. Cf. *Positio*, p. 617, no. 2.

⁴ Cf. *infra*, SH, 16, 7mum: "iis autem proprietatis scelere declarantur innodati, si qui [...] aliquid pecuniae apud se, vel alibi retinere ausi fuerint".

4. Monemus tandem tam Sacerdotes quam Fratres singulos et universos ut votorum Deo nuncupatorum sint memores, praecipue tamen scelus proprietatis⁴ devitent, discordias et rebelliones et murmurationes adversus Superiores abominentur, a conversatione abstineant nociva, bonum commune sedulo promoveant, modestiae, patientiae, humilitatis, obedientiae, sobrietatis, laboriositatis, orationis sint studiosissimi, ut saeculo et vitiis mortui, vivant in Christo Iesu Domino Nostro in aeternum.

5. In Caenaculo Domini 16 Aprilis 1695.

L.S. Stanislaus Praepositus mpp.

^a *Hodie dicitur de "promotione" ad Ordines*

13.

Litterae ad P. Ioannem Foci, S.P.

Neo-Jerosolymae, 17 Februarii 1696

a. **Origo et is cui epistula est data.** - In textu Litterarum non invenimus nomen personae cui hae Litterae datae sunt. Attamen textus Litterarum praeceditur sequenti annotatione: “Interea litterae sequenti tenoris a P. Stanislao a Iesu Maria ad P. Generalem datae [...]”¹. Proinde P. Generalis Scholarum Piarum est persona cui datae sunt hae Litterae, et in hoc casu agitur de P. Ioanne Francisco Foci a S. Petro, qui fuit octavus Scholarum Piarum Praepositus Generalis (dal 1692 fino al 1699)².

P. Foci mense Novembris anno 1695 advenit in Poloniam ad visitationem generalem Domorum sui Ordinis peragenda. Die 8 Februarii 1696 advenit Goram (Neo-Jerosolymam), ad Domum Scholarum Piarum ibi sitam visitandam. Ad hanc Domum die sequenti P. Papczyński venit ut P. Generali Foci salutem diceret³.

Secunda vice P. Papczyński cum P. Foci colloquium die 16 Februarii 1696 in Caenaculo Domini habuit⁴. Hac occasione P. Papczyński “rogavit P. Generalem, quatenus et sibi et suis [sociis] consuetam daret filiationem seu bonorum spiritualium Religionis participationem”⁵.

¹ Cf. “Acta Visitationis Generalis Religionis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum. Praeposito Generali P. Io: Francisco a S. Petro ab anno Domini MDCXCII”, f. 209r.

² SANTHA Georgius, Sch.P., *P. Ioannes Franciscus Foci a S. Petro, octavus Scholarum Piarum Praepositus Generalis*, Romae 1963.

³ Cf. *Positio*, p. 244 (Doc. VII, B, 3, a).

⁴ Cf. *ibid.*, pp. 244-245 (*ibid.*, b).

⁵ *Ibid.*, in fine. Talis “filiatio” petitur in testimonium affinitatis spiritualis quam P. Papczyński uti Fundator Marianorum erga Religionem Scholarum Piarum habuit, exprimendo “indefessum erga eamdem amorem”.

Talem “filiationem” a P. Foci tunc obtinuit. Cuius textus non amplius exstat, sed exstant Litterae quibus P. Papczyński, nomine totius suae Congregationis pro dicta filiatione ad Ordinem Scholarum Piarum gratias agit⁶.

b. **Textus.** - E facto quod Litterae inseritae sunt in “Actis Visitationis” videtur quod est earum transcriptio vel exemplar factum a secretario P. Generalis Visitoris⁷. Est hodie unica fons ex quo textus Litterarum nobis est notus⁸.

Prima vice hae Litterae typis datae sunt anno 1945 a Picanyol⁹: “E”. Sequendo hunc textum, anno 1960 Navikevičius has Litteras in sua dissertatione typis impressit¹⁰.

Sequendo manuscriptum in “Actis Visitationis” hae Litterae typis datae sunt in editione critica in *Positione*¹¹, ex qua provenit nostra divisio textus in 3 paragraphos.

⁶ Notandum est quod similem filiationem ad Ordinem Scholarum Piarum P. Papczyński die 27 Maii 1691 a P. Generali Alexio Armini (1686-1692) obtinuit (cf. *Positio*, pp. 447-448: Doc. XI, 14, c). Upote actus personalis Praepositi Generalis post annum 1692 non amplius valuit, proinde illa filiatio renovari debuit.

⁷ Ipse P. Papczyński has Litteras ibi inscribere potuit; cf. *Positio*, p. 245 (Doc. VII, B, 4, *intr.*). Attamen praesentia duorum errorum transcriptionis (vide *infra*, annotationes “b” et “d”) videtur excludere hanc hypothesim.

⁸ Cf. AGSP, Reg. Gen. 64, f. 209r.

⁹ Cf. *Eph. Cal.* XIV (1945), p. 29. Textus vitiatu est duabus parvis omissionibus.

¹⁰ Nav., *Append.* I, p. 51*.

¹¹ Cf. *Positio*, pp. 245-246 (Doc. VII, 4).

Reverendissime^a in Christo Pater,
Pater ac Domine mihi colendissime.

1. - Non possum sufficientes, quascumque tamen possum licet exiles gratiarum actiones, Reverendissimae Paternitati Vestrae meo meorumque omnium sociorum nomine persolvo, pro insigni et omnia temporanea bona exuperanti beneficio, quo nos omnes ad Sacrae Suae Religionis¹² ingentia merita admisit, et veluti suos omnibus omnium Suorum excellentissimis actionibus coram Divina maiestate incorporavit.

2. - Dabimus operam, ut tam admirabili charitati respondeamus; hoc conaturi, ut congregatiunculae nostrae cum Sacra Vestra Religione sit in perpetuum Cor unum et Anima una. Quanquam ne excedere videar affectu, liceat nobis Vestros esse clientes, et servos perpetuos. Qualem me cum meis confratribus dilectissimis aeternum fore contestor.

3. - In Caenaculo [Neo]^b Jerosolymitano, 17 Februarii 1696.
Reverendissimae Paternitatis ac D[ominationis] Vestrae

Subiectissimus ac Devi[n]ctissimus^c
Stanislaus a Iesu Maria

Non Institutor Congregationis [I.]^d C.: sed indignus servus. mp

^a “Rev.de” (E) ^b In Ms. legitur: “meo”, quod est indubitanter erronea transscriptio verbi “Neo” facta a secretario in “Actis Visitationis”.

^c “Devinctissimus” (E)

^d In Ms. legitur: “S”, sed credendum est quod in autographo “I” erat scripta cum tali flexura quod erat magis similis ac “S” quam ac “I”, proinde secretarius ita hanc litteram transcripsit sine reflexione significationis, dum indubitanter abbreviationes erant pro: “I[mmaculatae] C[onceptionis]”.

¹² Sicut hoc iam dictum est, agitur de Ordine Scholarum Piarum.

Testamentum Alterum

Neo-Jerosolymae, [1699]/1701

a. **Origo et tempus compositionis.** - Evidenter nova gravis infirmitas impellit P. Stanislaum Papczyński ad scribendum alterum Testamentum (*III*), quod substituere debuit illud e die 9 Decembris 1692 (cf. *supra*, SH, 11). Nullum documentum vel scriptum (sive P. Stanislai vel aliorum) mentionem de hac infirmitate facit, et proinde nescimus quando ille ita graviter denuo aegrotus devenit et - in absentia dati - quando hoc Testamentum in sua parte initiali et principali conscripsit.

Supponitur quod hoc in *prima parte* anni 1699 fecit:

- certo certius primam partem *III* ante diem 15 Octobris 1699 scripsit, quo Domus Goslinensis erecta est, quia dispositionem de hac Domo in hac parte non facta supplementare debuit (cf. *infra*, §§ 10.17);

- videtur quod haec prima pars *III* scripta fuit ante diem 4 Augusti 1699, quo - iam, uti videtur, infirmitate superata - ab Ordinario loci facultatem pergendi extra dioecesim Posnaniensem “ad loca sacra visitanda” obtinuit¹. Supponi potest quod in ipsa infirmitate P. Papczyński votum fecit se hanc peregrinationem facturum esse, si ex ea convalescet².

Si autem agitur de *parte completiva III* (cf. *infra*, §§ 14-19), eius sectio prima (§§ 14-16) fuit a P. Papczyński (denuo gravi infirmitate afflicto³, ita quod vix eam “manu graviter aegra” subscribere potuit; *infra*, § 16) scripta die 10 Apri-

¹ Cf. *Positio*, pp. 566-567 (Doc. XIV, 2, c).

² Scitur etiam quod prima pars *III* scripta fuit tempore, quo P. Ioachimus a S. Anna Kozłowski adhuc Romae - ubi missus est uti Procurator ad approbationem apostolicam Instituti Marianorum obtinendam - degebat (1699-1700), nam P. Papczyński de eo in hac parte scribit: “cum hic modo sit extra Provinciam” (cf. *infra*, § 10).

³ P. Ioachimus Kozłowski redeundo ad Caenaculum Domini e suo itinere Romano versus mensem Aprilis 1701 p. Stanislaum “infirmantem reperit”; cf. *Positio*, p. 648-649 (Doc. XVII, § 86).

lis 1701, uti initio annotatum est; sectio autem altera (§§ 17-19) eodem anno, nescimus quando, sed probabiliter mox post sectionem primam, scripta est⁴.

b. **Textus.** - Autographum *III*, post mortem P. Stanislai Papczyński († 17 IX 1701), depositum est in Archivio Domus Korabieviensis. Hodie tamen non amplius exstat, quia anno 1730/1731 - uti videtur - persum est cum aliis documentis in aquis fluminis Vistulae⁵.

Exemplar *III* factum est circa annum 1705 in *Protocollo* originali, quod tamen hodie non exstat. Ex hoc *Protocollo* facta sunt alia exemplaria⁶, proinde hodie textus *III* notus est nobis ex tribus exemplaribus inter se independentibus:

1) exemplar factum in exemplari (Corabievensi) *Protocoll*i originalis circa annum 1744⁷: “P”;

2) exemplar factum in opusculo *Summarium* (pro Causa beatificationis S.D. Stanislai circa annum 1771 confecto) ex alio exemplari (Romano) *Protocoll*i originalis (circa 1769)⁸: “S”;

3) exemplar factum circa annum 1772 in exemplari authentico della *VW* (1754), cuius auctor usus est exemplari *III* facto per eo ex *Protocollo* originali⁹: “W”.

Uti in *Positione*¹⁰, etiam hic presentata est editio critica exemplaris: “P”, quia est textus magis completus, etiam si quaedam lectiones preferendae sunt ex “S” vel “W”.

Divisio textus in 19 paragraphos est nostra.

⁴ In prima sectione legitur: “salva si vixero meliori dispositione Domorum” (§ 14), et hanc dispositionem in altera sectione fecit (cf. *infra*, § 17).

⁵ Cf. *Positio*, p. 492, no.4.

⁶ Cf. *ibid.* (Doc. XII, 5, intr.).

⁷ Arch. priv. Muniak (Cracoviae): *Prot.*, pp. 161-163.

⁸ *Posnanien. S.D. Stanislai a Iesu Maria Papczyński [...] SUMMARIUM super dubio An sit signanda Commissio Introductionis Causae [...]*, pp. 63-65: Num. 8, §§ 1-19. Quem textum secutus est Navikevičius anno 1960 typis dando *III* in sua dissertatione: *Nav., Append. I*, pp. 63*-65*.

⁹ Arch.Post. MIC: *VW*, § 96.

¹⁰ Vide: *Positio*, pp. 493-499 (Doc. XII, 5).

[^aTestamentum Venerabilis Patris Stanislai a Iesu Maria^a]

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Amen.

1. - Ego Stanislaus a Iesu Maria quondam Scholarum Piarum¹¹, nunc Dei miseratione Ordinis¹² Immaculatae Conceptionis^b, licet^c indignus Religiosus Divinum statutum quo omnes homines obligantur semel mori ex amore Dei impleturus, protestor me in fide Catholica Romana ex hac mortali vita decedere, pro qua paratus fui tempore belli Svetici¹³ sanguinem profundere, cum me stricto gladio haereticus miles euntem ex Civitate^{14d} cum Socio¹⁵

a-a *Est titulus datus per TII a redactore libri Protocolli Ordinis.*

b *add. "Beatissimae Virginis Mariae" (W)*

c *om. "licet" (W)*

d *add. "Varsaviensi" (W)*

¹¹ P. Papczyński novitiatum Scholarum Piarum anno 1654 incepit et anno 1670 ex hoc Instituto ob propriam petitionem dimissus est. Cf. Positio, pp. 24-214 (Docc.II-VI).

¹² In tota hac parte TII, scripta in prima parte anni 1699, est unicus casus quod Institutum a P. Papczyński fundatum vocatur "Ordo" et non "Congregatio" (vel "Congregatiuncula"). Credimus quod originaliter etiam hic scriptum erat "Congregatio", sed forsitan P. Papczyński anno 1701 saltem hic correctionem fecit secundum statum actuale iuridicem sui Instituti, quod iam ob approbationem apostolicam et vota solemnia "Ordo" factum est.

¹³ Agitur de bello quod anno 1655 initium habuit cum invasione exercitus Sveticus in Poloniam, qui die 8 Septembris huius anni Varsaviam occupavit.

¹⁴ Verbo "Civitas" denotatur Civitas Antiqua Varsaviae (intra muros).

¹⁵ Indubitanter hic erat Fra Joseph a S. Catharina Starck, qui simul cum Stanislao a Iesu Maria Varsaviam pro studiis peragendis mandatus est; cf. Positio, p. 286 (Doc. IX, 1: A.D. 1655).

prope Patres Dominicanos invasisset¹⁶, Socio (licet fuerit^a Germanus¹⁷) aufugiente, ego genibus flexis cervicem secundam exhibui, sed Divina providentia ^bfactum est, quod^b nullum vulnus acceperim^c, licet fuerim ter fortissime ictus, dolorem tamen ingentem fere per horam et dimidiam sustinui¹⁸.

2. - Nunc gratias ago Divinae bonitati, quod me ad diuturnius martirium reservavit^d. Nam gravissimas persecutiones in Scholis Piis passus, vix etiam^e ex odio non fui^f occisus, ^get tandem prima vocatione mea iniquissime spoliatus^g¹⁹. Dimitto omnibus coram Deo, qui haec causaverunt^h.

3. - Dispensatus a iuramento perseverandi in Scholis Piis vigore Brevis Clementis X²⁰, repudiatis beneficiis ecclesiasticis et praelaturis, quae mihi a duobusⁱ meis Patronis Cracoviensi Trzebiccio^j²¹

a “fuit” (W) b-b om. (W)

c “accepi” (W) d “reservaret” (W)

e “enim” (W) f “sum” (W) g-g om. (W) h “causarunt” (S, W)

i “singularibus” (W) j “Trebbicio” (W); “Trzebucio” (S)

¹⁶ *Sueci Catholicos in Polonia, praesertim sacerdotes et religiosos, uti inimicos tractaverunt.*

¹⁷ *Fra Starck denotatur in elencho studentium Podolinii uti “Germanus Podoliniensis”.* Cf. Positio, p. 494, no. 8.

¹⁸ *Nescimus exacte quando hoc accidit, sed debuit esse inter diem 8 Septembris 1655 et diem 6 Maii 1656.* Cf. Positio, p. 494, no. 9; p. 31 (Doc. II, intr. D, b).

¹⁹ Cf. Positio, pp. 86-214 (Doc. V-VI); pp. 252-276 (Doc. VIII).

²⁰ *Breve “Cum felicis recordationis” e die 18 Octobris 1670.* Cf. Positio, pp. 201-204 (Doc. VI, E, 2); pp. 190—194 (doc. VI, E, intr., 2).

²¹ *P. Papczyński ab episcopo Andrea Trzebicki, Ordinario Cracoviensi, beneficium capellaniae in Archiconfraternitate Immaculae Conceptionis B.V.M. ad S. Iacobum Casimirieae versus initium anni 1671 obtinuit.* Cf. Positio, p. 229 (Doc. VII, A., 5, § 3), sed illud ob translationem ad dioecesim Posnaniensem repudiavit.

et Plocensi Gembiccio^a Episcopis offerebantur²², ex instinctu Divino, cum summorum Theologorum consilio, et sedis Ordinariae Cracoviensis et Posnaniensis ^bconsensu habitum candidum in honorem Immaculatae^b Conceptionis Beatissimae Mariae Virginis assumpsi²³, et in eo^c me sine mora Illustrissimo et Reverendissimo Domino Domino^d Rhanucio^e Nuntio Apostolico in Polonia²⁴ cum obedientia et submissione praesentavi, benedictionem accepi et propositi mei fundandae Congregatiunculae^f praesentis collaudationem et confirmationem²⁵.

4. - Caetera quia^g sunt in authenticis erectionibus expressa²⁶ subitico. Potius me ad deprecandam Divinam Maiestatem cum publicano converto^h humillime, ut pro sua misericordia, propterⁱ merita Domini mei Iesu Christi, et Beatissimae Virginis Mariae, et omnium Sanctorum remittere omnia mihi peccata mea, et poenas iisdem debitas dignetur.

a “Gempiccio” (S) b-b om. (S)

c “illo” (W) d om. (W) e “Ranuncio” (W)

f “Congregationis” (W) g “quae” (W)

h “converso” (W) i “per” (W)

²² *Episcopus Plocensis Ioannes Gembicki ei canonicatum obtulit. Cf. Positio, p. 359 (Doc. X, 5, § 6); pp. 194-201 (Doc. VI, e, 1).*

²³ *Consensus sedis Ordinariae Cracoviensis ad hoc datus est, sed tunc (i.e. mense Decembris 1670) P. Papczyński habitum candidum Cracoviae - ob ignotam rationem - non assumpsit. Cf. Positio, p. 359 (Doc. X, 5, § 5). Ex consensu Ep. Stephani Wierzbowski, ordinarii Posnaniensis, probabiliter die 15 Septembris 1671 hoc habitum in capella Luboczae in domo Nobilis Karski assumpsit. Cf. ibid., p. 360 (§ 7). Vel cf. supra, SH, 7.*

²⁴ *Angelo Ranucci (Ranuzzi) adimplevit officium Nuntii Apostolici in Polonia a mense Augusti 1671 ad mensem Septembris 1673. Cf. Positio, p. 495, no. 16.*

²⁵ *Cf. Positio, p. 360 (Doc. X, 5, §7), vel: supra, SH, 7.*

²⁶ *Sermo hic est de duabus Erectionibus Congregationis CC. Marianorum. Cf. Positio, pp. 392-400 (Doc. XI, 4); pp. 420-430 (Doc. XI, 10).*

5. - Congregatiunculam^a hanc, cuius indignus Praepositus, Domino meo^b Iesu Christo, et electissimae Virgini Genitrici Eius Mariae, uti veris et solis huius Congregatiunculae Immaculae Conceptionis Defunctorum Suffragatricis Fundatoribus, Directoribus, Protectoribus, Patronis devotissime in aeternum committo.

6. - Sociis meis, et^c (si licet dicere) Filiis charitatem in Deum et proximum, zelum fidei Catholicae, Sanctissimae^d Sedis Apostolicae reverentiam, cultum, et obsequium; votorum observantiam, humilitatem, patientiam, Defunctorum auxilium, pacem cum omnibus vehementer commendo.

7. - Deprecor omnes tam domesticos, quam externos, si quos offendi, aut scandalizavi obsecrans, ut propter^e amorem Iesu Christi fragilitati meae ignoscant.

8. - Illustrissimae Domui Wierzbovianae^f pro acceptis beneficiis immortales gratias refero; sperans fore eam semper Congregatiunculae nostrae faventissimam²⁷. Multas gratias ab Eminentissimo et Reverendissimo Principe Cardinali Radziejewski^g recepi²⁸,

a “Congregationem” (W) b “nostro” (W)

c om. (W) d “Sanctae” (W) e “per” (W)

f “Wirbovianae” (W); “Nierzbovianae” (S)

g “Radziejewski” (W); “Radyiejovio” (S)

²⁷ Consanguinei Episcopi Stephani Wierzbowski, qui nomine “Domus Wierzboviana” designantur, die 26 Octobris 1688 Congregationem CC. Marianorum ab eorum patre in Góra ad Coenaculum Domini fundatam in protectionem susceperunt (cf. Positio, pp. 430-433: Doc. XI, 11). Nescimus tamen de ullo “beneficio” ab eis a Marianis obtento uti evidentiam protectionis promissae, et in qua P. Papczyński tantam spem ponebant.

²⁸ Nescimus de ulla “gratia” obtenta a Marianis ab Cardinale Radziejewski († 1705), cuius pagus Zator attingebat proprietatem Marianam Eremitae Corabieviensis. Cf. Positio, p. 496, no. 20.

quas Eminentiae Suae Deus aeterna vita compensabit. Illustrissimis et Reverendissimis Dominis Episcopis Posnaniensibus^a ^b humiliter supplico, ut hanc Congregatiunculam in ^csua dioecesi^c legitime et canonice fundatam^{d29} manutenere, conservare, protegere dignentur^e. Religiosis Gorensibus^f pro charitate, benevolentia, et tolerantia meae personae, tum Adm Reverendis Dominis Clericis in Communi viventibus³⁰, atque Civibus Dominus sit ^gmerces.

9. - Vado non rediturus, orate pro me et^h ego pro vobis misericordiam Dei per vestra suffragia consecuturus. Imaginem Personae meae³¹ spectandam curiosis, vitae¹ vero Domini mei Iesu Christi ^jimitandam relinquo.

10. - ^kNunc ad dispositionem uti Superior indignus venio. Eremum³² et Caenaculum Domini³³ his Patribus et Fratribus qui se

^a “Ponsnaniensi” (W)

^b add. “et Cracoviensi” (W), quod tamen est erroneum complementum, quia haec “Congregatiuncula” non fuit in dioecesi Cracoviensi fundata

^{c-c} “suis dioecesibus” (W)

^d “fundare” (S) ^e “dignetur” (W, S)

^f “Novae Jerosolimae” (W)

^g add. “memor, et” (W)

^h “ut” (S) ⁱ “vitam” (W)

^j add. “Religiosis” (W, S)

^k om. “Nunc [...] Amen.” (W), i.e. totus textus “” 10-13 contentus

²⁹ Cf. Positio, pp. 392-400 (Doc. XI, 4): erecta sive fundata fuit A.D. 1679.

³⁰ Cf. supra, 11, no. 14.

³¹ Est probabiliter imago P. Stanislai Papczyński ab ignoto pictore depicta quae hodie invenitur in Domo CC. Marianorum in pago Skórzec (Polonia). Cf. Positio, p. 496, no. 24.

³² I.e. Eremus Corabieviensis, seu prima fundatio Marianorum (1673).

³³ I. e. Domus Neo-Jerosolimae (Gorae) sita, seu secunda fundatio Marianorum (1677).

has Domus ad mortem non relicturos conscientia obligarunt³⁴, conservandas relinquo et resigno.

Patrem Ioachimum a S. Anna de licentia Illustrissimi et Reverendissimi Domini Administratoris³⁵ mihi in Coadiutorem electum³⁶ etiam successorem declaro obligans eius conscientiam districto Dei iudicio ad observantiam a Deo plantatam rigorosissime tenendam. Sed cum hic modo sit extra Provinciam³⁷ idcirco regimen Congregationis meae Assistentibus Patri Iosepho ab Omnibus Sanctis et Patri Cypriano a S. Stanislao consigno, et ut^a eis in Domino et pro Domino omnes reliqui Patres et Fratres obediant in Nomine Dei praecipio.

11. - Memor voti paupertatis, non deberem quidquam innuere de rebus relictis, sed cum multa perperam fieri soleant, idcirco ex voluntate Divina sic dispono de summis in Decreto Consistoriali Varsaviensi³⁸ non specificatis. Mille florenos mihi simplici debito a Magnifica Domina Theophila a Windiki^b Lasocka Pincernissa Lomzensi^c actis Cernensibus inscriptos³⁹, tum et mille quingentos apud Magnificum

a “uti” (S) b “Niridiki” (S)

c “Zamzensi” (S)

³⁴ Evidenter Mariani talem obligationem assumpserunt, quia die 8 Martii 1697 Ep. Nicolaus Popławski, Officialis Varsaviensis, ordinavit: “qui perpetuam stabilitatem loci iurare debebunt” (cf. Positio, p. 442: Doc. XI, 13, §13). Cf. Positio, p. 496, no. 27.

³⁵ Agitur de Ep. Hieronimo Wierzbowski, Auxiliari Posnaniensi (1682-1712), qui post mortem Ep. Ordinarii Ioannis Stanislai Witwicki († 4 Martii 1698) dioecesim Posnaniensem gubernabat (11 III 1698 - 18 V 1699). Cf. Positio, p. 497, no. 29.

³⁶ P. Ioachimus a S. Anna Kozłowski probabiliter electus fuit Coadiutor P. Stanislai Papczyński in Capitulo Generali anno 1698: post diem 11 Martii 1698 et ante suam profectionem Romam versus autumnum anni 1698.

³⁷ P. Ioachimus Kozłowski tempore quo P. Papczyński hoc Testamentum scribebat erat “extra Provinciam”, i.e. extra fines patriae (Poloniae), quia Romae uti Procurator Congregationis negotium eius approbationis pontificiae gerebat (1699-1700). Cf. Positio, pp. 520-549 (Doc. XIII, 5-9); p. 648 (Doc. XVII, § 85).

³⁸ Agitur sine dubio de Decreto “Commissionis” die 8 Martii 1697 dato. Cf. Positio, pp. 437-443 (Doc. XI, 13, §§ 10-12.14).

³⁹ Cf. Prot., p. 44.

Dominum Constantinum Lasocki Caenaculo Domini, et meis (non cuiquam alteri) hic Deo servientibus, praecipue Patri Iosepho ac Cypriano inscribo ea conditione, ut respectu census annui singulis hebdomadibus ab iis duae Missae, et eorum successoribus, una pro Defunctis suffragiis carentibus, altera pro peccatoribus dicantur⁴⁰.

12. - Iura omnia tam Eremitae quam Caenaculi Domini, Normam vitae authenticam⁴¹ cum scriptis omnibus et sigillo Congregationis Patri Cypriano a S. Stanislao Caenaculi Domini Superiori trado, et servanda committo; pro reparatione Caenaculi Domini apud Generosum Dominum Bogatek^a centum florenos et totidem in communi depositos assigno; Caetera oretenus eidem Patri Cypriano commisi, omnibus modernis et singulis posteris meis Fratribus et Sociis amplissimam Fundationem: Dei Clementissimi Providentiam^b, perpetuo attribuens.

13. - Benedictio Dei Patris, et gratia Domini nostri Iesu Christi, et communicatio Spiritus Sancti, Patrocinium B.V. Mariae Matris Misericordiae, Tutela Caelitum omnium sit vobiscum semper Amen.⁴²

14. - ^cAnno Domini 1701, die[?]^d 10. Aprilis haec omnia suprascripta^c confirmo ^e ^flicet iam nostra Congregatiuncula sit Religio votorum Solemnium sub Regula imitationis Decem Virtutum Beatissimae Virginis Mariae⁴³, quam humillime admitto et iuxta ean-

^a “Bogarek” (S) ^b “providentiae” (S) ^{c-c} “Haec omnia Anno Domini 1701. Die 10. Aprilis scripta” (W) ^d “etc.” (S) ^e *add.* “et subscribo, et” (W)
^{f-f} *om.* (W)

⁴⁰ Cf. *Positio*, p. 497, no. 37.

⁴¹ *Agitur hic evidenter de manuscripto “Normae Vitae”, quod anno 1694 ab Card. Colloredo fuit correctum et anno 1698 fuit ab Ep. Popławski admissum. Cf. Positio, pp. 455-458 (Doc. XII, 1, intr., g).*

⁴² *Hic concluditur pars principalis III anno 1699 scripta.*

dem Professionem Sollemnem iterum renovare volo⁴⁴, salva si vixero meliori dispositione Domorum⁴⁵.

15. - Quod si Pater Ioachimus iterum de consensu Patrum fuerit confirmatus Coadiutor, tunc eum tremendo iudicio Dei adstringo ne mihi quidquam innovet, in habitu, titulo Ordinis, nec audeat impie cultum Beatissimae Virginis Mariae quem eius Maiestati uti semiindigni per recitationem Officioli Immaculatae Conceptionis et integri Rosarii exhibemus abolere. Idem de usu Cremati introducendi sentiat sibi et omnibus interdictum, quia hic potus arcana Dei miseratione a Nostro Caetu alienus est⁴⁶;

16. - licet^d vix possum subscribere^a manu graviter aegra, sed mente sanissima et a Deo possessa

Stanislaus a Iesu Maria Ordinis Immaculatae

Conceptionis^b indignus Praepositus mpp.

17. - ^cEremum Patri Iosepho⁴⁷, Ioanni et reliquis nunc ibidem residentibus et eorum successoribus consigno, Caenaculum Domini et Domum Sanctissimae^{dd} Matris Dolorosae Goslinensem PP. Cypriano a

a “scribere” (W) b add. “Beatissimae Virginis Mariae” (W)

c om. (W) reliqua pars III dd “Sanctissimam” (S)

⁴³ Cf. Positio, pp. 540-541 (Doc. XIII, 7, § 3), ubi sermo est de origine huius Regulae, sub qua Mariani Ordini Francescano aggregati sunt die 21 Septembris 1699; cf. ibid., §§ 3-6. Cf. Doc. XIII, 8, § 2.

⁴⁴ P. Papczyński hanc professionem die 6 Iunii 1701 fecit; cf. Positio, pp. 552-554 (Doc. XIII, 11), vel: supra, SH, 15.

⁴⁵ Sub “dispositio Domorum” intelligitur dispositio quam iam anno 1699 in prima parte Testamenti fecit (§ 10) et quam “meliorem” in secunda sectione huius partis completivae mox faciet (§ 17).

⁴⁶ Cf. Positio, p. 469 (Doc. XII, 1: NV, cap. IV, 2). Cf. infra, SH, 16, 5tum. His verbis P. Papczyński affirmare videtur quod in aliis Institutis religiosis usus cremati non erat interdictus, secundum praevalentem usum societatis civilis illius temporis in Polonia.

⁴⁷ P. Iosephus Nowakowicz ab Omnibus Sanctis, tunc Superior Eremitae Corabieviensis; cf. Positio, p. 552 (Doc. XIII, 10, subscriptiones in fine).

S. Stanislao, Iacobo a S. Anna, Paulo a Nativitate Domini, Constantino a S. Casimiro et tribus praesentibus eorumque^a succedaneis relinquo, qui tamen legitime electo Successori meo parebunt, sed si quid novi velint⁴⁸ introducere cum Dei et auxilio Nunciaturae subsistent.

18. - ^bMando autem in Dei obedientia ut omnes hoc subscribant^b Sacerdotes, et si quis noluerit pro filio meo et Sanctissimae Virginis Genitricis Dei Servo fideli non habendus ut supra.

19. - ^cInterfui praesens, et scripsi de mandato et haec omnia mihi dictata a Patre nostro Stanislao a Iesu Maria et[!]?^c et eius propria manu subscripta. Sub iuramento testor.

Cyprianus a S. Stanislao Caenaculi
SuperiorLocus Sigilli

^cInterfui praesens et de mandato subscribo
Iacobus a S. Anna Caenaculi Domini
Procurator mpp.

De mandato Pater Ioachimus a S. Anna Ordinis Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae Congregationis Polonae Procurator Generalis mpp.

De mandato Paulus a Nativitate Domini Residentiae Goslignensis Praesidens interfui^{de}.

a “*coramque*” (S) b-b *om.* (S) c-c *om.* (W) d *om.* (S)

⁴⁸ *Subiectum praedicati posset ita hic exprimi: “sed si quid novi Successores mei velint introducere”.*

15.

Professio votorum solemnium

Varsaviae, 6 Iunii 1701

a. **Origo.** - Innocentius XII, in litteris (sub forma Brevis “Exponi Nobis nuper”) e die 24 Novembris 1699 ad Nuntium Apostolicum in Polonia directis, ei committit et mandat “quatenus vocatis ad id qui fuerint evocandi ad executionem et observantiam” Literarum Patentium Ministri Generalis Ordinis Seraphici e die 21 Septembris 1699 procedat¹.

Dicta “executio” significabat imprimis professionem votorum solemnium, quae a Marianis erat facienda super Regulam Decem Virtutum B.V. Mariae. Nuntius Franciscus Pignatellus ante omnia requisivit, ut Mariani consensum ad hanc Regulam observandam praestarent² et quando hoc die 14 Aprilis 1701 fecerunt³, Nuntius imprimis P. Stanislaum Papczyński, Praepositum Generalem, ad vota solemnia Ordinis emittenda se sistentem admisit et Professionem Regularem ab ipso in suis manibus recepit⁴.

b. **Textus.** - Textus Professionis - probabiliter ab ipso P. Papczyński compositus - inseritus est in Certificationem eam attestantem⁵. Documentum originale Certificationis, Romam anno 1773 madatum, hodie non amplius exstat. Anno 1769 exemplar authenticum Certificationis factum est, et ex eo textus Professionis nobis notus est⁶.

E dicta Certificatione conservamus hic solummodo verba quae cum professione stricte connexa sunt (pro distinctione typis cursivis redduntur).

Certificatio typis data est anno 1960 in: Nav., *Append.* I, pp. 66*-67*. Anno 1977 Professio typis data est in *Positione*: pp. 553-554.

¹ Cf. *Positio*, pp. 543-546 (Doc. XIII, 8).

² Cf. *Positio*, p. 556 (Doc. XIII, 12).

³ Cf. *Positio*, pp. 550-552 (Doc. XIII, 10).

⁴ Cf. *Positio*, p. 557 (Doc. XIII, 12).

⁵ V. Certificationem et Attestationem, *ibid.* pp. 553-557 (Doc. XIII, 11.12)

⁶ Cf. AAP: APS 10, ff. 410r-411r.

Franciscus Pignatellus, [...] Nuntius.

Universis [...] ad notitiam indubiam deducimus:

Quia Nos ab Admodum Reverendo Patre Stanislao a Iesu Maria, Ordinis Immaculatae Conceptionis [...] Praeposito, coram Nobis personaliter et flexis genibus constituto Professionem Regularem seu alias vota solemnia Ordinis, tenoris infrascripti, videlicet:

In nomine Sanctissimae Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Dignissimaeque Virginis Mariae, Dei Matris.

Ego Stanislaus a Iesu Maria Ordinis Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae Congregationis Polonae Defunctorum et Parochorum Suffragatricis indignus Praepositus promitto et voveo Deo ac Beatissimae Virgini Mariae et Omnibus Sanctis, et Tibi Illustrissimo ac Reverendissimo Domino, Domino Francisco Pignatello Dei et Apostolicae Sedis Gratia Archiepiscopo Tarentino, Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Divina Providentia Papae eius Nominis XI. in Regno Poloniae Nuntio⁷, toto vitae meae tempore observare Regulam Imitationis Decem Virtutum Beatissimae Virginis Mariae Instituto Nostro non contrariantem, vivendo in Castitate, Obedientia, atque Paupertate sancta, conformando mores ad ipsam Regulam eo obligationis genere, quo in ea, vel per eam adstringuntur et obligantur illius Professores.

in Manibus Nostris emissam, et emissa recepimus hac die Sexta Mensis Iunii Anno Domini Millesimo Septingentesimo primo, Praesentibus Reverendo Patre Cajetano Bellavita sacerdote Theatino Conventus Varsaviensis, [...] circa praemissa Testibus etc.

[...]

Stanislaus a Iesu Maria indignus Praepositus mp.

⁷ *Franciscus Pignatelli, Nuntius Apostolicus in Polonia (12 Maii, effect. 20 Iulii 1700 - ad finem anni 1703). Cf. Positio, p. 553, no. 1 ad textum.*

16.

Praecepta pro Eremo Corabieviensi

[In Eremo Corabieviensi “, 1701 “]

a. **Origo et tempus compositionis.** - Non habemus ullum datum pro hoc documento (*Praecepta*) in eius textu indicatum. Videtur tamen quod scriptum est anno 1701, quando iam P. Papczyński notitiam habuit (post diem 10 Aprilis huius anni) de novo statu iuridico sui Instituti, i.e. quod erat iam Ordo votorum solemnium super Regulam Imitationis Decem Virtutum B.V.M. emittendorum, sed solum tunc ei notum erat quod sua *Norma Vitae* non fuit adhuc - pro hoc novo statu iuridico - uti Constitutiones approbata. Proinde P. Papczyński praecipit lecturam Decretorum Pontificiorum “cum sint apud nos loco Constitutionum” (*infra*, 3tium).

Argui etiam potest quod P. Papczyński scripsit *Praecepta* anno 1701 quia ibi mentio facta est de praesentia Fra Gabrielis in Novitiatu¹.

De tempore et loco compositionis *Praecepta* possumus etiam ita arguere. Scimus quod die 14 Aprilis 1701 Mariani capitulariter congregati volebant emittendas professiones votorum solemnium accelerare “praecipue ob gravem infirmitatem Praepositi” P. Stanislai². Sed postea “omnibus admirantibus” P. Papczyński “insperate convaluit”, et sic Varsaviam ad Nuntium Apostolicum pergere valuit in manibus eius professionem solemnem faciendus³. Nostra hypothesis non invenit ullam confirmationem in documentis, sed credi potest quod P. Papczyński versus mensem Iunium 1701 - adhuc in bona salute - ultimam visitationem Eremitae Corabieviensis fecit et quod *Praecepta* cum hac visitatione connexa tunc conscripsit.

¹ Vide *Positio*, p. 500 (Doc. XII, 6, *intr.*, II).

² Cf. *Positio*, p. 552 (Doc. XIII, 10).

³ Cf. *Positio*, pp. 704-705 (Doc. XVIII: *VW*, §§ 98.100).

b. **Titulus.** - Probabiliter autographum *Praeceptorum* nullo titulo instructum est. Redactores *Protocollum Ordinis*, sive in originali sive in exemplaribus, titulum proprium huic scripto imposuerunt (cf. *infra*), sed sine ulla mentione de Eremo Corabieviensi in eo, ita quod quis credere possit quod *Praecepta* directa sint etiam ad Marianos in aliis Domibus degentes. Quamquam aliqua praecepta valorem pro omnibus Marianis habent, tamen major pars eorum clare Marianos in Eremo Corabieviensi degentes prae oculis habent.

Indubitanter ergo P. Papczyński *Praecepta* pro Marianis (et Novitiis) Eremitae Corabieviensis scripsit et haec est ratio tituli in hac editione adhibiti, nempe: “*Praecepta pro Eremo Corabieviensi*”.

c. **Textus.** - Hodie autographum *Praeceptorum* non amplius exstat. Textus huius scripti notus est hodie ex duobus exemplaribus a se independentibus (e *Protocollo* originali provenientibus):

1) exemplar insertum in exemplari *Protocollum Ordinis* pro Eremo Corabieviensi (1744)⁴: “PC”;

2) exemplar insertum in exemplari *Protocollum Ordinis* pro Domo Goslinensi (ca 1751)⁵: “PG”.

“PC” (e non “PG”) est praesentatum in hac editione, quia continet textum magis completum. Attamen ultimum praeceptum quod est in “PC” omissum, debuimus e “PG” restituere.

Prima vice *Praecepta* fuit typis datum anno 1960 a Navikevičius⁶. Prima editio critica typis impressa huius documenti (*Praecepta*) invenitur in *Positione*⁷.

⁴ Cf. *Prot.*, p. 159.

⁵ Cf. *Protocollo Goslinense*, ff. 32v-33r, in: Arch. dioeceseano Lublin. : A 235.

⁶ Nav., *Append.* I, p. 59*. Notandum est quod auctor ibi non sequitur, uti ipse affirmat, “PG”, sed exemplare dactylographicum ex anno 1933, simile ac “PG”, attamen sequens *Protocollo* Ms. “A” quod non exstat amplius. Textus in Nav. est vitiatum in multis casibus; cf. *Positio*, p. 501, no. 4 ad *intr.*

⁷ Cf. *Positio*, pp. 499-503.

[Praecepta pro Fratribus Marianis Patris Stanislai]^a

1. Novitiorum diligentissima cura habeatur, unde nunquam ex Eremo, ne quidem ad Praediolum⁸ mittantur, cum Professis non loquantur, ^bin suo Novitiatu degant. Ad colloquia externorum non permittantur^b. Verbo educentur secundum Constitutiones Clementis Octavi de Reformatione Regularium⁹.

2. ^cFrater Alexius¹⁰ doceat Nostros Fratres Hieronymum¹¹ Petrum¹² Andream¹³ linguam latinam et communiter ea utantur, duabus horis mane, duabus horis a prandiis a Praesidente¹⁴ designandis. Fratres vero Gabriel¹⁵ et Paulus¹⁶ eo tempore in Novitiatu legant sibi casus conscientiae. Exercitiorum tamen manualium labores saltem duabus horis quotidie ab iis idque sanitatis conservandae causa non intermittantur^c.

a “*Praecepta Salutaria Patris Stanislai Fundatoris Venerabilissimi pro Fratribus Marianis*” (PG)

b-b *om.* (PG) c-c *om.* (PG)

⁸ *Sermo hic est de vicino pago Korabiewice.*

⁹ *Agitur de documento pontificio “Cum ad regularem” e die 19 Martii 1603. Cf. NV, c. I, § 5.*

¹⁰ *Supponitur Alexius a S. Marco, qui versus annum 1703/1704 sacerdos ordinatus est. Cf. Positio, p. 501, no. 4 ad textum.*

¹¹ *Supponitur Hieronymus a S. Valentino, qui in Albo Mortuorum describitur uti “Venerandus”, qui erat “clericus, prius per multos annos hortulanus”. Cf. ibid., no. 5 ad textum.*

¹² *Probabiliter Petrus a S. Iacobo. Cf. ibid., p. 502, no. 6.*

¹³ *Quasi certe Andreas Deszpott (de Spot) a S. Matthaeo († 1750), versus annum 1710 ordinatus sacerdos, qui ab anno 1712 officii magni momenti in Ordine Marianorum functus est. Cf. ibid., no. 7.*

¹⁴ *Cf. “Statuta” (1723), c.X, § 5: “Superiores locales, seu Praesidentes”.*

¹⁵ *Indubitanter Gabriel a Praesentatione B.V.M. († 1728), qui ad Institutum Marianorum venit versus annum 1700. Cf. ibid., no. 8.*

¹⁶ *Sine dubio Paulus Juskiewicz a Purificatione B.V.M. († 1757), sacerdos ordinatus anno 1703. Cf. ibid., no. 9.*

3. Silentium nunquam ad mensam dispensetur, nisi recreationis tempore, sed adhibeatur continua lectio Sacrorum Librorum et Decretorum Pontificiorum, quae quotidie (cum sint^a apud nos loco Constitutionum) leguntur^b.

4. Interdicitur omnibus ne suis in cubiculis res comestibiles aut potabiles retineant. Imo extra mensam nec bibere, nec sumere aliquid absque permissione Superioris audeant.

5. Cremati usus tam foris, quam domi sub amissione Divinae benedictionis inhibetur¹⁷ ob honorem Christi Domini ac^c Salvatoris Nostri in Cruce sitientis^d.

6. Praesidens ne Domo, nisi rarissime idque ex gravi causa abscedere audeat. Legitime absens loco sui^e statuatur alium, cui omnes in Domino obediant.

7. Nihil a Domo, Ecclesia, Bibliotheca alienetur. Neque pecuniae notabilis quantitas (excepto victu et vestitu Nostrorum) absque scitu nostro dispensetur, ^fii autem proprietatis^f scelere declarantur innodati, si qui (quo Deus avertat) aliquid pecuniae apud se, vel alibi retinere ausi fuerint.

a “sit” (PC), quae lectio substituitur lectione e PG, uti correcte ad subiectum “Libri” et “Decreta” corrispondente

b “legantur” (PG) c om. (PG)

d additur hic animadversio: “quod utique hactenus ab omnibus nostris pietati et sobrietati addictis observatum est”, quae ad textum originale “Praeceptorum” non appartenebat, sed addita est a redactore libri Protocolli (NB: in PC datur erronea transcriptio: “observatura est”)

e “Sacri” (PC), quae lectio indubitanter ex erronea transcriptione proveniens, substituitur lectione e PG

f-f “Proprietatis autem” (PG)

¹⁷ Cf. supra, SH, 14, § 15.

8. Capitula culparum (quas etiam quotidie accedentes mensam ingenue fateri debent^{a18}) singulis feriis sextis fiant^{b19}. Communis autem flagellatio^c feria 2nda, ^d 4ta et 6ta habeatur²⁰.

9. ^eFeminae ad domum et curritorium non admittantur. Loco autem Directoris^f[!] vetus vitae norma²¹ servetur^e.

Stanislaus a Iesu Maria
indignus Praepositus mpp.

a “debeant” (PG)

b om. (PC), sed per inadvertentiam, proinde hoc complementum desumptum est a PG.

c “disciplina” (PG) d add. “feria” (PG)

e-e om. (PC) ob ignotam nobis rationem, sed hoc praeceptum invenitur in PG et agnoscendum est uti authenticum.

f hodie dicitur: “Directorii”

¹⁸ Videtur quod P. Papczyński hanc praxim a Scholis Piis desumpsit. Cf. Const.S.P., P. I, c. XI, n. 1: “Solemni consuetudine receptum est, ut cum quis extrinsecus aliquo modo etiam leviter defecerit, ante Sacram lectionem in Refectorio culpam genuflexus dicat”.

¹⁹ Cf. NV, c. IX, n. 3.

²⁰ Cf. *ibid.*, c. IV, n. 6.

²¹ “Norma Vitae” uti “vetus” denotatur, quia evidenter P. Papczyński hoc modo distinguit NV anno 1687 typis datam (veterem) ab illa (nova) quae anno 1694 a Card. Colloredo correctata fuit; cf. Positio, Doc. XII, 1. Cf. *ibid.*, pp. 455-456 (Doc. XII, 1, intr., g).

INDEX NOMINUM

A

Alegiani, Giovanni, 32
Alexander VII, 5, 8, 15, 24, 56, 61, 64
Alexander VIII, 113
Alexius (a S. Marco “), Fra., 147
Andreas, Fra.- *vide*: Deszpott
Armini, Alexius, S.P., 97- 99, 103, 128
Augustinus a S. Adalberto, S.P., 46, 48

B

Bellavita, Cajetanus, 144
Bogatek, 139
Bogatko, Casimirus, S.P., 46
Bolemov. (Bolimów), 90
Bouix, D., 66
Bukar, Ioannes Casimirus, S.P., 9
Buonvisi (*al.* Bonvisius), Franciscus, nunt. ap., 90

C

Calasactius, Iosephus, s., 61, 99, 103
Camaldulenses, Ordo, 87, 105
Capucini, 61
Caputi, Giovanni, S.P., 41
Caramuel, Ioannes, 60
Carmelitae, 55
Casimiria (Kazimierz) ad Cracoviam, 25, 26, 30, 50, 57-59
Casimirus, Ioannes, rex, 47
Chacim, 118
Chelma (Chełm), 58, 93
Chiara, Cosmus a Iesu Maria, S.P., 14, 16, 17, 20-22, 24, 39, 43-45, 51, 59, 68-70

- Chieti, 40
 Clemens VIII, 147
 Clemens IX, 50
 Clemens X, 22, 24, 59, 82, 134
 Clemens XI, 144
 Clerici (saeculares) in communi viventes, (*al.* Bartolomiti), 122, 137
 Colloredo, Leandro, card., 139, 149
 Congregantiuncula - *vide*: Mariani
 Constantinus a S. Casimiro, O.I.C., 140
 Corabievien. (*al.* Korabievien.), Domus (Eremus), 28, 75, 77-79, 88-93, 95, 96, 102, 103, 107, 108, 132, 136, 137, 139, 140, 145-147
 - Domus Recollectionis, 75, 76, 81, 92, 93, 95, 96
 - Oratorium Immac. Concept. et S. Michaelis Arch., 96, 102
 Cracovia (Kraków), 7, 21, 22, 24, 31, 32, 42, 48, 50, 51, 53, 54, 56-58, 89, 94, 103, 110
 Cyprianus a S. Stanislao, O.I.C., 138-141
 Czeczota-Czeczowski, Ioannes, S.P., 19

D

- Deszpott (*al.* de Spot), Andreas, O.I.C., 109, 147
 Dominicani (Ordo Praedicatorum.), 55, 84, 133

E

- Eder, Paulus a S. Philippo Nerio, S.P., 42
 Eremus Corabieviensis *vel* Eremus - *vide*: Corabievien.
 Eremus Mariana, 75

F

- Faber, Nicolaus, S.P., 17
 Fagnani, Prosperus, 103
 Foci, Ioannes, S.P., 127
 Franchis, Lauretto de, 103
 Franciscani (Religio S. Francisci, Ordo Fratrum Minorum, Ordo Seraphicus), 89, 113-116, 139, 143

Franciscus Salesius, s., 65
 Frankovi", Paulus, S.P., 15, 55
 Fratres Minores, Ordo - *vide*: Franciscani

G

Gabriel (a Praesentatione BVM), Fra., 145, 147
 Garcia, Ioannes, S.P., 8, 61
 Gawlikowski, A., S.P., 99
 Gembicki (*al.* Gębicki), Ioannes, ep., 43, 44, 83, 134
 Germania, 41-43, 48, 57
 Ginetti, Marzio, card., 17, 51
 Giordano, Fr., 61
 Gora (Góra) - *vide*: Neo-Jerosolyma
 Goralewicz, Ioachimus de Nativ. BVM, S.P., 105
 Górski, Ludwik, 86
 Goslinens. (Goźlin), Dom. SS. Matris Dolorosae, 131, 140, 141, 146
 Gregoriana, Universitas, 7
 Gregorius XV, 61
 Guerri, Severino, 40

H

Holzhauser, Bartolomeus, 122

I

Iacobus a S. Anna, O.I.C., 140, 141
 Iesuitae (*al.* Societas Iesu), 18, 55, 104
 Immaculata Conceptio BVM - *vide*: Maria; Mariani
 - Ordo monialium, 114-116
 Innocentius XI, 115
 Innocentius XII, 113, 143
 Ioachimus a S. Anna - *vide*: Kozłowski
 Italia, 91
 Iulius II, 115

J

Juskiewicz, Paulus a Purificatione BVM, O.I.C., 147

H

Haligowski, Franciscus, S.P., 18, 46, 50-57, 101

Hausenka, Nicolaus, S.P., 17

Hieronimus, s., 91

Hieronymus (a S. Valentino “), Fra., 147

Horn, Dom., 57

Hungaria, 3, 51

K

Karski, Iacobus, 32, 85, 86, 135

Korabiewice, 147

Kozłowski, Ioachimus a S. Anna, O.I.C., 13, 107, 108, 113, 123, 124, 131, 137, 138, 140, 141

Krajewski, Bartholomaeus, 90

Krajewski, Stanislaus, canon. Gnesnen., 94

Krajewski, Stanislaus (*al.* Ioannes ab Immac. Concept.), 27, 77, 80, 88, 90-94, 96

Krasnopolski, Regina, 90

Kraus, Michael a Visitatione BVM, S.P., VIII, 18, 19, 25, 26, 30, 39, 44, 48, 55, 69, 82, 84

Krupski, Bernardus, S.P., 30

Kruszyna, Antonius, S.P., 19

Krzyzanowski, Casimirus, MIC, VIII, 35, 76

L

Lasocka, Theophila a Windiki, 138

Lasocki, Constantinus, 138

Laymann, P., S.I., 60

Leopoli (Lwów), 2,

Leporini, Mansuetus, OFM Ref., X, 27
 Lessius, 38
 Lisboa, 118
 Lubocza (Lubocz), 31, 32, 85, 88-91, 135
 Lusitania, 117

M

Marescotti, Galeazzo, nuntius ap., 47, 69
 Maria, B.V., 27, 29, 30, 119, 121, 135, 139, 140, 141, 144
 - Immaculata Conceptio, 25, 27, 29, 30, 89, 90, 116, 121, 134, 140
 - Regula (Imitationis) Decem Virtutum, 139, 143-145
 Mariani (Clerici): Institutum, Congregatio, Congregatiuncula, Societas
 CC., Ordo, V, VI, 11, 13, 25-29, 31, 34, 35, 75, 76, 78, 81, 83, 86, 97-
 99, 102, 103, 105, 107, 108, 113, 114, 121, 123, 131, 135, 136, 138-140,
 143, 145, 146
 - Societas, Congregatio, Congregatiuncula, Ordo (Clericorum)
 Immaculatae Conceptionis, 84, 87, 89, 91, 92, 108, 113, 115, 119,
 120, 124, 129, 135, 141, 144
 - Clerici (Recollecti) (Mariani) Immaculatae Concept., 105, 116
 Michael Korybuth Wiśniowiecki, rex, 34, 50, 53, 72
 Moravia, 66
 Mszczonov. (Mszczonów), 90, 93
 Muniak, arch.Cracoviae, 28, 107, 114, 123, 132

N

Navikevičius, Georgio, MIC, VIII, 7, 12, 13, 23, 35, 36, 80, 100, 128,
 132, 146
 Neo-Jerosolyma (*al.* Gora), 97-99, 102, 105, 107, 117, 122, 123, 131,
 136, 137
 - Caenaculum Domini, 105, 107, 111, 113, 122, 124, 125, 127,
 129, 131, 136-141
 Neumann, Glicerius, S.P., 69
 Novari, Alexander, S.P., 1, 8, 9,
 Nowakowicz, Iosephus ab Omnibus Sanctis, O.I.C., 98, 138, 140
 Nowosielski, Ioannes, 91

O

- Oborski, Nicolaus, ep., 44, 83
 Ohm, F. Ferdinandus, O.P., 110
 Opatowski, Venceslaus a SS. Sacramento, S.P., 14-16, 19, 20, 39, 40, 43, 45-51, 53, 65, 68, 69, 73
 Oratoriani (*al.* PP. Oratorii S. Philippi Nerei), 89
 Ordo Immaculatae Conceptionis (O.I.C.) - *vide*: Mariani

P

- Paczyński, Casimirus, S.P., 17
 Papka, Thomas, 29
 Paszakowicz, Casimirus, S.P., 30
 Paulus, Fra. - *vide*: Juskiewicz
 Paulus V, 8, 61
 Paulus a Nativitate Domini, O.I.C., 140, 141
 Pawlarski, Alexius, S.P., 19
 Pellizzarius, 38
 Pessau, Carolus a S. Maria (*al.* a Matre Dei), S.P., 42, 57, 66, 67
 Petrus (a S. Iacobo “), Fra., 147
 Picanyol, Leodegario, S.P., 97, 99, 100, 128
 Pignatellus, Franciscus, nunt. apost., 143, 144
 Pod(e)grodium (Podegrodzie), 3, 7, 11, 14, 29, 94, 103
 Podolinium (Podoliniec), 3, 15, 16, 45, 47, 50, 51, 53, 54, 58, 70, 83, 133
 Polonia, 6, 29, 40, 42- 44, 65, 66, 69, 113, 115, 117, 124, 127, 133, 138, 140, 143, 144
 Popławski, Nicolaus, ep., 117, 137, 139
 Prividien. (Priavidza), 51, 55
 Praemisliens. (Przemyśl), 90

R

- Radziejowski, Michael Stephanus, card., 136
 Ranucci (*al.* Ranuzzi), Angelo, nunt. ap., 85, 135
 Recollectionis, Domus - *vide*: Corabieviensis

Ressovia (*al.* Resovia) (Rzeszów), 9, 50, 54, 58, 69, 70
 Ribeyro Rosha, Antonius, 2, 118
 Roma, 5-8, 12, 14-17, 20, 24, 28, 32, 40, 41, 64, 75, 79, 99, 105, 107,
 113, 114, 117, 118, 131, 138, 143
 - Pantaleonis, ecclesia, 40
 Ruszocki, Hieronimus, 42

S

Sántha, Giorgio., S.P., 61, 62, 127
 Scassellati, Camillus, S.P., 62
 Scholae Piae, Institutum, Ordo, Piaristae, V, VI, 1, 3, 5, 6, 8, 11, 18, 19, 21-
 27, 30-34, 37, 38, 45, 50, 52, 56, 60-62, 64-66, 68, 70, 73, 75, 81, 82, 84-
 86, 97-99, 101, 102, 104, 105, 127-129, 133, 134, 149
 - Archivum Gen. Romae, 6, 23, 99
 - Provincia Polona, 14-18, 31, 41, 43, 45, 48, 57, 60, 66-68, 105
 Siewierkowicz, Adalbertus a S. Theresia, S.P., 55, 56
 Simon, Tert. S. Franc., 88, 91
 Skierniewicen. (Skierniewice), 90
 Skórzec, 137
 Societas Immaculatae Conceptionis - *vide*: Mariani
 Starck, Iosephus a S. Catharina, S.P., 133
 Stricher, Julien, 27
 Studziana, 89
 Suarez, Franciscus, S.I., 38, 60
 Sublacus (Subiaco), 91
 Sueci, 133
 Świącicki, Stanislaus G., ep., 79, 91, 93, 94
 Sydry, Stefan, MIC, X, 12, 35

T

Tanquerey, 67
 Teixeira, JoaE Coelo de S. Paio, X, 118
 Trzebicki, Andreas, ep. Cracov., 22, 23, 44, 50, 51, 58, 59, 134

V

- Varesio, Carolus Franciscus de, OFM, 114
Varsavia, 5-9, 11, 12, 15, 17-19, 32, 40, 41, 47-50, 52, 54, 55, 58, 68, 70, 72, 83-85, 96, 99, 105, 133, 143, 145
Vistula (Wisła), 13, 132

W

- Warzecha, Iosephus, S.P., 30
Weczirka (*al.* Wezyrka), Iacobus, S.P., 9, 15, 17, 19, 39
Wierzbowski, Hieronimus, ep., 137
Wierzbowski, Stephanus, ep., 84, 87, 98, 102, 108, 115, 120, 122, 135
- Domus Wierzboviana, 136
Wilga, Franciscus, O.Cam., 87
Wiskitcen. (Wiskitki), 90
Witwicki, Ioannes Stanislaus, ep., 98, 120, 137
Wyszyński, Casimirus, O.I.C, X, 1, 2, 84, 117, 118

Z

- Zator, 136
Zawadzki, Onuphrius, S.P., 19

INDEX CONTENTORUM

Prooemium	V
Tabula abbreviationum et siglorum	VII
1. Secreta Conscientiae	1
2. Professio votorum simplicium	5
3. Protestatio Romam abeuntis.....	11
4. Litterae ad P. Cosmum Chiara, S.P.	21
5. Oblatio	25
6. Apologia pro egressu e Scholis Piis.....	31
Causa Prima: Odium	38
Causa Secunda: Veteris observantiae relaxatio	59
Causa Tertia: Charitas.....	66
Causa Quarta: Impedimenta ingenii.....	68
7. Fundatio Domus Recollectionis	73
8. Litterae ad P. Alexium Armini, S.P.	95
9. Litterae ad Marianos in Eremo Corabieviensi	105
10. Litterae ad Ordinem Fratrum Minorum	109
11. Testamentum Primum.....	113
12. Litterae ad Marianos	119
13. Litterae ad P. Ioannem Foci, S.P.	123
14. Testamentum Alterum	127
15. Professio votorum solemnium	139
16. Praecepta pro Eremo Corabieviensi	141
Index Nominum	147